Q. D. T. O. M. B. V.

In

SUI NOMINIS GLORIAM.

DISSERTATIO

Pharmaceutico - Therapeutica

De

USU & ABUSU INEBRIAMINUM,

Autore

JOH. LUDOV. HANNEMANNO,

M. D. Et in Illuſtri Chriſtian - Albertino Phyſices Profeſſore, Publico Ordinario. Perilluſtris Leopoldinæ Societatis Collegâ.

Pſalm. LXXVII. ℣. XI.

Die Rechte Hand des Höchſten kan alles ändern.

NORIMBERGÆ,

Apud PAULI FÜRSTII, Bibliopolæ b. m. viduam & hæredes.

Typis *CHRISTOPHORI GERHARDI,*

M. DC. LXXIX.

DEDICATIO

Illuſtribus, Excellentisſimis, Ampliſſimis, Viris,

DN. JOH. MICHAELI FHER,

Conſuli & Phyſico Svinfurtenſi, Academiæ Naturæ Curioſ. Præſidi Magnifico, Dicto Argonautæ,

DN. JOH. GEORGIO VOLCKAMERO,

Reipublicæ Inclutæ Noribergenſis Phyſico Primario, Academiæ Naturæ Curioſorum Adjuncto Digniſſimo, Dicto Heliantho,

Medicinæ Doctoribus famigeratiſſimis, Conſultiſſimis, Patronis, Fautoribus, Collegis, Amicis Honoratisſimis, offert Autor,

)(2 Nolite

NOlite demirari, Viri Illuſtres, hocq́; chartis paucis conſtans de uſu & abuſu inebriaminum in re Pharmaceutica & Therapeutica conſcriptum opuſculum Veſtror. Illuſtr. Nominum ſplendore & autoritate ſeſe poſteris recommendet Ad hæc auſa, quæ in bonam partem interpretari velitis, quàm humaniſſimè rogo: multæ cauſæ impulerunt. Eſt quippe ultrà luſtrum, quo nomini meo, matriculæ virorum Illuſtris Leopoldinæ Societatis in Germania ſplendidiſſimæ inſereretur, hunc honorem quæſiverim, meaq́; etiam levioris farinæ obſervata, non tàm raritate, quàm veritate ſeſe recommendantia, rariſſimi commatis à Magnis viris comportatæ obſervationum aureæ meſſi ſociare dignati eſtis, & quod maximum, in numerum me recepiſtis. Fruor itaq́;, Illuſtris Domine Præſes, jàm tot annos Tuô favore & inſigni patrocinio, Tuôq́;, Magne Domine Volckamere, amicitiæ nectare recreor ſæpiùs, & grato animo beneficia, quæ

mihi

mihi à Vobis, Magni Viri, præter ullum meum meritum fuére exhibita, quoad vixero, agnoſcam. Hæ itaq; lucubrationes ſub Autoritatum Veſtrarum clypeo, Nominum Illuſtrium tutelâ in publicum prodeant, benevolè patiamini. Sicq; gratitudinis meæ ſpecimen loco redhoſtimẽti, quod Veſtris Nominibus dignum à me præſtari nequit, in poſterorum ætatem transmittatur. Quare ſuſcipite in Veſtram, contra invidorũ rabiem, tutelam, hoc qualecunq; exiguum opuſculum, magisq; animum donantis, quàm donum ipſum veſtris nominibus Celeberrimis inferius, reſpicite. Cæterùm, Vos, Magni Viri, Excellen. Domini, Dei T. O. M. præſidio, qui Vos diutisſimè florentes ſervet, contra omnem mali inſultum protegat ſuâ dextrâ, & deniq;, quandò annorum numero graves, ac vitæ longioris dierumq; tædium obrepat, per Beatam Analyſin, cœleſtis gloriæ Chriſti meritum vos reddat participes! Vivite, valete, Forete, & favete: qui ſum,

V. T. T.

JOHAN. LUDOVICUS HANNEMANN,
M.D. & Phyſices in Chriſtian-Albertina Prof. Public, Ordin. Leopoldinæ Societatis Collega.

Diſcurſus Præliminaris.

MOrem eum, quem autores ſequuntur, ſuis tractatibus præfationem, in quâ vel ſcripti occaſionem, vel diviſionem, aut breviter argumentum enarrent, præmittant, quoque ſector, non ut de ſcripti occaſione, diviſione, argumentoque diſſeram, ſed aliam materiam, præmii loco tractandam, quam Reipublicæ noſtræ Aſclepiadeæ apprimè utilem & jucundam, reor, elegi. Circa cujus enodationem noſtræ Reipublicæ primates ſtrenuè fuêre occupati, quemadmodum eruditiſſimæ Magnorum Virorum lucubrationes evincunt.

Thema verò, quod nunc propoſiturus, eſt Apoplexia. Morbus ille, cui & rectè nomen, *Miſerere mei*, propter multas cauſas impoſueris, truculentiſſimus. Quique inſtar fulminis homi-

hominem creaturarum principem ex viventium theatro ſubtrahit, inque rogum præcipitat. De nominis etymologia, aliisque circumſtantiis, quæ circà vocabula obſervari ſolent, hîc minimè erimus ſolliciti: præſtitit, id eruditiſſimè inſigniſſimus *CORTNUMMUS SORANÆ* Academiæ, dùm viveret, Decus, & alii. Ut itaque hoc labore commodè ſuperſedere queam; neque inſtituti ratio ejus tractationis hâc vice capax eſt. Cauſarum duntaxat ſcrutinium inſtituam, quousque propoſiti cancelli ſeſe diffundunt.

In cauſarum ſcrutinio admodum diſcordes Medicorum ſententias, dicamne potius, opiniones legere licet. Com̃odè autem harum opinionum diverticula ad tres claſſes revocaveris. prima eſt eorum, qui pituitam ſecũda, qui ſerum, tertia, qui ſanguinem accuſant. Omnes tamen volunt artis noſtræ dictatorem, *Hippocr.* ſequi, & ut ille eorum placitis patrocinari videatur, verba ejus mirè torquent, ſique ſæpiùs ſenſus eloquiorum Hippocraticorum reclament, ob-

torto collo trahunt, cùm tamen valdè temerarium ſit, ubique eandem apoplexiæ cauſam ſtatuere, cujus morbi variæ poſſunt eſſe cauſæ. Et nulla cauſa hîc aſſignari poteſt, quæ utique inveniat locum, præter eam, quam mox allaturus ſum.

Duæ præprimis cauſæ notari merentur, quæque præ cæteris alicujus ponderis & momenti videntur eſſe, (aliæ & ſuâ nullitate propriâ evaneſcunt, quasque & hîc attingere operæ non pretium,) & has illuſtre par virorum in ſcenam produxit. Prioris autor eſt Celeberrimus *Cortnummus*, qui libro de *Morbo Attonito* Artic. II. Cap. VIII. pag. 30. *Morbum Attonitum definit hœmoſtaſiam in cerebro.* Alterius ſententiæ propugnator audit *Franciſcus Bayle*, Doctor Medicus Tholoſanus, Vir, me hercules, eruditisſimus, hicque ſtatuit, apoplexiam oriri ab eo, quando ſanguis figitur, id verò quod ſanguinem figit, eſſe *Melancholiam.* Inque eum ſenſum pulchrè l. de Apoplexia c. VII. p. 87. diſſerit. Præcipua *Melancholiæ qualitas,* à qua potiſſimùm

ſimum ipſius activitas dependet, eſt aciditas, vi cujus quando eſt moderata, moderatam ſanguini conſiſtentiam largitur, immodicā verò, quando copia excedit & aucta aciditate facta eſt acrior; maximè, ſi conjunctam habeat auſteritatem aut acerbitatem, tunc enim vim inſignem habet figendi ſanguinem. Duæ iſtæ ſententiæ quamvis videantur diſcordes, reapſe tamen ſunt concordes, ſiqúe etiam ſententiam aliquam, proprio dogmate neglecto, amplecti vellem, horum utiq́ue magnorum virorum placitis quàm lubentisſimè primas deferrem, ſubſcriberemq́ue. At cum ſemel illam pathologiæ diſtinctionem, quà morbi ad tria genera referuntur, quòd vel ſint ſpirituum, vel humorum (cave verò, ne humores explices juxta humoriſtarum ſcholam,) vel partium ſolidiorum, receperim, ægrè mihi perſuaderi patior, omnium morborum focum in humoribus conſtituam.

Morbi ſpirituum mihi ſunt præprimis *Apoplexia*, circa quam jam occupamur, epilepſia, paralyſis, tremor, phreneſis, mania, me-

 lan-

lancholia, incubus, &c. Abſit tamen, vim illam ſpirituum elaſticam, quâ Williſiani ſeſe titillant, ullô modô, quam & natura ignorat, neque corporis noſtri œconomiæ fabrica admittit, admittam, aut fulcrum ſubſternam. Sed relinquendæ ſunt iſtæ delitiæ iſtis Philoſophis ſpiritûs elaſticâ vi temulentis.

Ne itaque aliorum autorum ſententias refutando mihi invidiam accerſam, quàm cæteroquin aliquid in publicum emittendo ægrè declino, abundet quisq; ſuo ſenſu, & per me ſit ſuum cuiq; pulchrum, meam ſententiam paucis, nulli tamen eam obtrudendo, ſed magnorum virorum cenſuræ ſubjiciendo, aperiam.

Apoplexiam morbis ſpirituum œconomiam turbantibus invertentibusque annumeravi. Antequàm nunc clariùs mentem meam declarem, neceſſe eſt, paucis præmoneam, quænam mea de ſpiritibus ſit ſententia. Statuo quippe in noſtra corporis œconomia unicum dari ſpiritum, mihi nerveum dictum. Animalem, vitalem, naturalem natura me ignorare jubet, quare &

re & his conſulatum in autorum libris lubens concedo, nullam verò ſedem in humani corporis Republica.

In hujus ſpiritûs diſcraſia vel & metamorphoſi apoplexiam quamlibet invenire licet. Quamvis nunc varia ſint diſcraſiæ genera, ut & metamorphoſeos, una tamen ſpecies in geneſi morbi attoniti quàm maximè attendenda eſt, videlicet, quandò hic ſpiritus vappeſcit vel in vappam tranſit, illa autem in vappam metamorphoſis vel toti ſpiritui, omniq́ue ejus ſubſtantiæ, vel quibuſdam ejus particulis evenit.

Univerſalis illa ſpiritûs nervei vappeſcentia, de qua modò ſermo auditus eſt, morbum attonitum gignit hoc ritu. Spirituoſitas vigorq́ue omnis iſtius ſpiritus evaneſcit, & quod reſiduum, eſt phlegma, vel corpus ſine anima. Non ſecus ac Spiritus Vini accenſus deflagrat, poſt deflagrationem peractam latex inſipidus vigore deſtitutus reſtat, quem ampliùs incendere non vales, perdidit quippe iſtâ deflagratione ſuum ſulphur, niveum ſuum vivificum Balſamum.

Quod verò in hacce ſpiritus nervei vappeſcentia, quid obſtat, quod non licet dicere? deflagratione iſtius Tragœdiæ primariam perſonam ſtatuam: ſequentes rationes perpaucæ, quas ex copia, quæ mihi cæteroquin ſuppetunt, adduco, perſuadent.

Certum *primò* & in confeſſo, quòd homines ſiderati illicò ſolitô ponderoſiores gravioresque, (ne nunc dicam magis intractabiles, ne fortasſis hoc pacto effugium ſubminiſtrem, licet & huic obſtaculum præſto,) appareant. Quid cauſæ verò eſt, quòd homines vita privati viventibus ponderoſiores ſint, niſi quòd ſpiritus exeſtinctus, qui hominem alleviat & vigorat. Et hinc non infidum prognoſticon eſt, quod de ponderoſitate ægri ſolitô majori deſumitur, ſcilicet ipſum ad atram mortem tranſiturum, quoniam in ipſo hic ſpiritus ſenſim, & pedetentim vappeſcit, donec totus in vappam tranſierit. Poſſet hìc Achilleum argumentum contrà *Cortnummum* & *Bayle* formari, quô in ſummas anguſtias redigerétur; ſed horum diligentiæ, quam

magni

magni facio, neque unquàm ſine honoris recordor ſigno, aliquid dandum; in arduis voluiſſe ſat eſt.

Hunc morbum accerſere *iram* quoque in propatulo eſt: iram quoque non aliter concipies, quàm quòd ſit inſtar flammæ, quæ abliguriat balſamicas in ſpiritu nerveo particulas, quibus abſumptis, phlegma ſupereſt. Poſſem hoc prolixiùs illuſtrare illuſtri philoſophemate, quòd circà *iram* in divino opuſculo de paſſionibus animæ Sophus *Renatus* De *Cartes* inſtituit, cui pollicem premo absq; ſervitutis, quam nulli debeo, tyrannide in Philoſophia Monarchiam & Regimen deſpoticum affecto.

Exercitia, quæ nervis incommodant, aut ullo modo infeſta ſunt, apta nata ſunt hunc morbum attonitum cauſari ſi non loquerer erudítiſſimo ſeculo, magnam exemplorum experimentorumq; farraginem congererem. At nunc ſufficit Triverbium. Sapienti ſat dictum. Cui & ſcribo, idiotam non moror!

Hujus morbi prodromi, ut ſunt torpor, ſe-

 gnities,

gnities, vertigo, &c. igneæ coruſcationes, ſimiliaque microcoſmi meteora, ante oculos noſtro aſſerto fortisſimum fulcrum ſubſternunt, quod *Hæmoſtaſiæ* ATLAS, vel fixati ſanguinis aſſertor nullo ariete removere valent.

Arbitror & me ex horum junceis, æquè lævia mihi horum virorum placita, placitorum argumenta ſemper viſa ſunt, fulcrum parare poſſe immobile, quo meam ſententiam muniam, & cuneum ad nodum diffringendum. Nulla quippe poteſt fieri *Hæmoſtaſia*, nulla ſanguinis fixatio ſine prævia depauperatione ſpiritús nervei in ſanguine: quæ itaq; hi magni viri pro cauſis proximis apoplexiæ obtrudere conantur, ſunt cauſarum effectus ipſisq; cauſis poſteriores. Dormitat & ſic bonus *Homerus* Sed homines ſumus!

Plura forsân deſideras L. B. ſed ignoſce, non lubet hoc tempore. Aliàs me hujus morbi meditationi totum mancipabo. Hîc itaque in prægustum contentus ſis, rogo! Noſti quippe, arduum eſſe hoc delicato ſeculo contrà communem ſententiam hiſcere. Et ferè illud Juriſconſultorum à Medicis & Philoſophis rece-

ptum

ptum eſt, iſtûc allaborent ſententiam aliquam communem faciant, non rationibus muniant. Quaſi hîc magnorum nominum ſuffragia veritatem ſtabiliant, aut in votorum pluralitate veritas philoſophica ſita ſit. Qui ab hac inſania divortium facit, paradoxorum ſator, ſi non prorſus magis acerbum Atheiſmi crimen impingant, audit. Caſtigavi quorundam intempeſtivum zelum in impingendo hoc crimine; quantum *Hobbeſium*; *Puſendorſium*, *Carteſium* attinet, quibus viris à multis fit injuria citra ſuum meritum, in mei *Phœnicis Botanici poſtloquio*. Qui è contrà ex traduce (eſt phraſis Harvei) philoſophantur, hi Terrarum Joves ſunt, præſertim illi, qui magnos deſcriptorum acervos, quibus obrui poſſent, poſſident, exque eis, tanquàm promptuario aliquo diſcurſum aliquem formare queunt, aſt ſat miſerè, non multùm abeſt, quin his corona civica adjudicetur, ſique verò has logomachias parùm accuratiùs expendamus, ſunt laciniæ hinc indè contextæ, integrique diſcurſus apud alios leguntur, ex quibus fideliter tranſcripti ſunt. Sic condimus hiſtoriam, ſic conſcribimus Elenchtica, ſic ſcribillamus libros, quis iis non aſſurget? Quod me attinet, ego eos nihili pendo: abſit, hoc plagium quis nuncupet, & ne rem acu tangam in iſtis aliarum meditationum declamatoribus, taceo. Abſit, bonos hîc reprehendam; de fucis ſermo eſt, quique feſtucam

in pro-

in proximi oculo ruſpantur, trabem in proprio haud animadvertentes: de quibus appoſitè uſurpaveris. Turpe eſt Doctori, quùm culpa redarguat ipſum.

Hæc ſunt L. B. quæ locô præfaminis in medium aſſerere placuit, ſi hoc meum paradoxon de apoplexia tibi placere ut & hunc præſentem laborem intellexero, dabo operam reapſe cognoſcas, me tuo reſpondere deſiderio in votis habere, hucque omnes mei ingenii nervos intendere. Antequàm verò Te dimittam L. B. rogandus es, ne in malam partem accipias, quæ paulo antè de philoſophantibus & Traduce protuli: hujus criminis conſcios tetigi, eos rogo, ne taceant, ſed cauſam ſuam agant, ut palàm fiat erudito orbi, eos ejus criminis eſſe reos, cujus me libenter reum traducerent, contrà Theſin meam quòd nemo hiſcere auſit, certus ſuum! eamque ſic munire valeo, ubique eam tueri auſim & contrà quemlibet, &c. vale & fave L. B.

Scripſi Kiliæ Anno 79. 17. Martii, St. V. in anno mei muneris, quo fungor, quarto, Academiæ hujus Illuſtris decimo quarto.

Tracta-

Tractatio ipſa.

MEſues noſter Librum ſuum, non ſecus ac Juſtinianus, ab invocatione Sanctiſſimi Numinis inchoat, horum exemplo & hunc noſtrum Laborem inchoamus. Deus Fons omnis ſapientiæ inexhauſtus noſtras meditationes in ſui Nominis æterni gloriam, Reipublicæ literariæ emolumentum, proximi ſalutem dirigat, Meque ſuo Spiritu Sancto in omnem veritatem ducat, confirmetque. *Votum pium.*

§. 1. Celeberrimus VVedelius digniſſimus Magni Rolfincii ſucceſſor in ſua pharmacia in artis F. R. l. I. ſect. V. c. 1. §. 5. p. 60. in ſpecie, inquit, qui feliciter in operationibus progredi intendit, ad manum, oportet, habeat aliquantiſper in copia (1) Spiritum Vini (2) Salem Tartari. (3) Acetum. (4) Spiritum Vitrioli & Salis, his enim plurima poſſunt perfici. Quam ſententiam Magni iſtius Viri in dubium non vocamus, ut cujus erudita ſcripta tanquam cynoſuram in immenſo artis oceano (Hippocrates ſect. 1. aphoriſ. 1. *Ars longa vita brevis*) veneramur, & cum aliis magni facimus. Quicquid tamen ſit, illa inebriamina abuſivè tàm Pharmaciæ, quàm Therapiæ profeſſores ſæpiùs uſurpant. Nihil nunc addamus de aliis inebriaminum abuſibus, adeò ut plures inebriaminum abuſu, quam fati lege occumbant; horum abuſuum debitam reprehenſionem & caſtigationem a cathedra noſtra relegamus, & ſacerdotibus recommendamus, quamvis illa luxuria nobis Medicis ſæpius fertilem meſſem cum uberrimo ſpicilegio faciat. Jubet prælaudatus viæ noſtræ Leopoldinæ Societatis ſplendidiſſimum membrum, Hercules dictus, Collega noſter honoratiſſimus, ad pharmacevticas

Sectio I. Opuſculi.

VVedelii Laus.

maceuticas operationes ad manum aliquantiſper in copia habeamus Spiritum Vini, cui ineſt inebriaminum princeps liquor.

Inebriamina quid. §. 2. Antequam vero de abuſu inebriaminum in Pharmacia & Therapia dicamus, præmittendum quid ſint, non opus quæramus an exiſtant, hoc quippe eſt extra controverſiam, & quæſtio Domitiana. *Definitio.* Definiemus. *Inebriamina* ſunt res ejusmodi, quæ animal & hominem dementare vel in furorem adigere, ſenſibusque glaucoma vel faſcinum facere queunt. Brevius. *Inebriamen* eſt res animalium & hominum ſenſibus & menti glaucoma vel faſcinum faciens.

Explicatio definitionis. §. 3. Diximus inebriamina eſſe res, noli mirari L. B. quare illis non genus magis proximum aſſignaverimus, velque per potus definiverimus. Reſp. per potus definire non potuimus, quoniam multa ſolida & ſicca virtutem inebriativam poſſideant, neceſſe itaque fuit genus magis auguſtum magisque latum tribueremus, hocque commodè per res exprimimus, quippe omnia inebriamina dicuntur & ſunt res.

Differentia. §. 4. Differentias inebriaminum nunc aperiemus (I) alia ſunt inebriamina liquida hæcque (1) ſimplicia, (2) compoſita. (II) illa vel deſumuntur ex vegetabilium regno, videlicet illorum ſuccis, qui per fermentationem vim inebriativam induunt, ſuntque vel ſimplicia vel compoſita, horum princeps eſt *Spiritus Vini*. Alia inebriamina & liquida promit animalium familia, de quorum Geneſi artificiali mox quædam in medium allaturi ſumus. Sunt & vegetabilia ſicca, quæ vi inebriativa pollent. *Quæſtio (1)* Quæſtio vero eſt inter Medicos vexatiſſima, an & metalla vel mineralia per ſe aliquem liquorem inebriantem promere valeant? Hanc quæſtionem Germaniæ noſtræ Decus & Lumen D. D. *VVedelius* ſic ſolvit l. 11. ſect. 1. c. 1. §. 5. p. 66. 67. *Mineralia* ſive metalla ineptè deſtillantur, pro aquis ſcilicet, non item pro phlegmate & ſpiritibus, quod quibusdam competit: quædam vero planè nec phlegma nec ſpiritum fundunt, ut metalla; ſive aquæ deſtillatæ ex mineralibus & metallis propriè non dantur. Pauco enim pollent phlegmate, & cæteroquin magis fixa, & minus vaporabilia ſunt in roſcidum liquorem, idque tum per ſe valet de abſolute conſideratis, tum reſpectu alio-

rum,

rum, quibus adduntur, ſive in compoſitis nec fixa nec pretioſa addenda. Hactenus Jenenſis Æſculapius. Quicquid tamen ſit, ſi integrum & liberum ſit noſtram ſententiam de hoc quæſito aperire, dicimus, quod omninò Metalla & Mineralia per ſe inebriantem liquorem fundere & promere valeant, quippe ſi aliàs verum eſt illud dogma, quod nullum ſit corpus, quod antea non fuerit ſpiritus, hinc ſi metalla & mineralia in ſuum rudimentale rurſum, vel menſtruum convertantur, dant liquorem primigenium, & quo nunc corpora meliora & compactiora, eo etiam dant meliorem liquorem ſpirituoſum. Quare ex metallis & mineralibus per ſe liquorem inebriantem elicere chemiæ non eſt impoſſibile, licet huic vel illi chemiatro ſit impoſſibile. Hicque locum invenit, quod de experimentorum infelicis ſucceſsûs cauſa diximus in noſtro *Phœnice Botanico* §. XIII. qui videatur. Tum utiq; credimus, ex ſaccharo Saturni poſſe deſtillari liquorem inebriantem. Magnus ille Chemiater, cujus mentionem fecimus in *noſtro Phœnice Botanico* §. XVIII. mihi plus ſemel narravit, quomodo ex ſaccharo Saturni ſpiritum ardentem pararit. Hicque Generoſiſſimus Dominus fovebat hoc placitum, cuilibet rei naturali ſuum ſanguinem naturæ eſſe, neque illi difficilè erat, aquam pluviam per ſe ſineq; ulla additione inſtar Rubini rubram facere, ex qua optima Medicamina hic Chemiæ Myſta parabat.

Alia ſolutio quæſiti.

§. 5. Noſtri inſtituti ratio omnium promiſcuè inebriaminum geneſin naturalem vel artificialem hic adumbremus non permittit, dicemus dumtaxat hîc aliquid de inebriaminum Geneſi artificiali, quæ ex animalibus deſumuntur, quoniam illa ubique non ſunt obvia, nosque etiam aliunde mutuati ſumus, quod indicamus, ne quis nobis imputet, quaſi alienis plumis ornati, ut multorum mos eſt, prodire gaudamus. *Celeberrimus* D. D. *Etmüller* in ſua pereruditâ diſputatione de Medicina Hippocratica §. 7. ſic infit. *Tartarorum potus* ut notum, eſt lac equinum, idque tantummodo in ſolemnioribus feſtivitatibus, quod tamen ita præparare norunt, ut ebrietatem conciliet, non ſecus ac vinum. Modus præparandi cùm ſit curioſus, & eundem linguâ Gallicâ in Latinam translatum ex *Relation. de Tartarie* par *Jean*

Inebriamina ex animalibus.

Luca Religieux Dominique de Tartare precopite p. 15. & p. 19. hunc annotare libuit. Eorum potus, quem nominat *Chymus* & *Boza*, cum farina milii (forſan interdum loco hordei. *Credimus verò nos, licet copia hordei adſit, tamen milium ſumere*) inebriat inſtar vini noſtratis, præparatur ſequenti modo: poſtquam equa peperit, permittunt pullum Jactare per menſem, poſtmodum applicant naſo pulli fruſtula ligni acuminata, eum in finem, ut quando pullus velit ſugere, equa iiſdem puncta, eum admittere nequeat, interea ipſi colligunt lac, eoque vas replent, in quo vinum alias fuerit, (ſi tale habere poſſunt) quod dum in vas reconditur, per linteum, trajicitur, & vas poſtmodum exactiſſime obturatur. Huic injiciuntur 20 vel 30 gr. hordei, cum cochleari oxygalæ vaccinæ ſeu lactis acidi vel ebutyrati, aut ſaltem parum fermenti. Interea neceſſe eſt, collocare vas iſtud vel prope ignem, vel exponere idem radiis ſolaribus, ut lac bulliat & benè clareſcat, id quod ſpatio 2. vel 3. Septimanarum evenit: quod ſi addatur tantillum vini, potio erit eò gratior. Lac ita benè depuratum, trajicitur per linteum purum, antequam hauriatur pro potu, qui præparatus tempore vernali, melior eſt omni eo, qui reliquis anni temporibus conficitur. Hæc potio longè durabit, tantum enim lactis novi ſemper denuò infundi poteſt, quantum exhauritur. Obſervandum & hoc, quod ſi lac per ſe ipſum ſatis acidum fuerit, non opus erit oxygalam vel fermentum addere, ſed ſufficiunt grana hordei: utque magis tutò procedatur, in diſtinctis vaſculis inſtituenda eſt præparatio. Poteſt etiam infundi nodulus ex radicibus violarum aut foliorum coriandri. Decies quotidie equæ lac emulgetur, dum ea interea optimis herbis nutrienda eſt; potio hæc eſt admodum ſalubris, & magno emolumento iis, qui ſunt impotentes. Semina coriandri meliorem habent ſaporem ipſis foliis. Hactenus autor Gallus, in quibuſdam nominibus *obſcurus*. Illud Tartarorum inebriamen ex lacte conſit, inebriativam virtutem à fermentatione indipiſcitur, non ſecus ac noſtra potuum inebriantium genera, vinum, cereviſia, & quæ ex ſuccis pomorum parantur, nullam vim inebriantem habent, niſi ritè fermentationem fuerint paſſa, Quare omnis vis inebriativa dumtaxat fermento & fermentatio-

Digreſſio de potu Tartarorum.

mentationi accepta referenda; quoniam fermentatio ſpirituum compedes & vincula, quibus inviſcati ſunt, ſolvit, eosque exaltat; nam dum formæ ſubjugatæ dominio formæ ſpecificæ liberantur, ſuo aſſeruntur juri, & poſſunt agere juxta ſuarum figurarum modificationem. Applica huc, quæ in noſtro *Phœnice Botanico* §. XX. de ignis analyſi in medium attulimus, ſimili ritu particulæ in fermentationis fervore procedunt. Lac quippe eſt blandus potus, adeò ut minimè ſit inebrians, verùm quando ſic fermentationem patitur, tunc ſpiritus ſubjugati, qui inſunt, effervescere incipiunt, compedibus excusſis libertati ſeſe aſſerunt, ſuique juris fiunt & vim inebriantem induunt. Fermentationem verò eam promovent, ſi lac (1) indatur vaſi, in quo vinum fuit antea. (2) Si cochlear oxygalæ vaccinæ addatur. (3) *Si injiciatur* farina milii vel 20 aut 30 grana hordei. (4) *Si igni* aut ſolaribus radiis exponatur. Si preſsè ea perpendamus, (1) *Lac intromiſſum* in vas, in quo vinum fuit, illicò vini fermenti contagio inficitur; vinum quippe ſpiritibus turget, hinc illi vinoſi ſpiritus contagium ſuum imprimunt lacti, hinc lactis ſpiritus activari occipiunt moverique, qui antea quiete quieſcebant, ſed hujus motionis vi nondum ſatis liberari queunt ſuis compedibus, aliud poſcunt adminiculum, quod nunc (2) *præſtant* grana hordei, illa imbibunt humidum, quo imbibito contagium & ſuum inferunt lacti, quod uti eſt ſui multiplicativum, ſic activatur à ſpiritibus vinoſis (3) *præſertim ſi acceſſerit* lac aridum vel oxygaſa vaccina, major majorque intenditur motus in lacte equæ effervescens. (4) *Igni exponitur* aut radiis ſolaribus, in eum finem particulæ calorificæ intromittantur, & uti nunc calor omnem motum promovet, hinc nunc omnia ea lacti commiſta inter ſe luctam ineunt; hujus luctæ beneficio ſpirituoſæ particulæ inebriativæ ab aqueis ſequeſtrantur, & phlegmate purificantur viſcido. (5) *Neceſſarium eſt* vas optimè claudatur & obturetur, ne in illo effervescente motu ſpiritus amplius non ſubjugati, ſed debitâ volatilitate animati avolent, ſicque inanimem & enervatum liquorem vel vappam poſt ſe relinquant, & quamvis obturatio ſit facta, tamen liberum ſpatium movendi ſpiritibus non adimitur. Hanc Geneſin iſtius inebriaminis Tattaris

ris uſitati & familiaris tam prolixè proſecuti ſumus, ut aliquatenus vim & neceſſitatem fermentationis adumbraremus, ſicque clareat, fermentationem efficere vim inebriativam, non dumtaxat particulas terreas præcipitando, ut vult *VVillis*, ſed formas ſubjugatas ſpirituoſas libertati aſſerendo, ſuique juris ſint, faciendo. Quibus terminis appoſitè utitur, & commodiſſimè Nobiliſſimis Kergerus, quo nemo melius hanc materiam examinavit, invenit. Quem & hic ſecuti fuimus.

Notatur VVillis.

§. 6. Aliorum inebriaminum naturam, Geneſin, Geneſisque ætiologiam non ſcrutamur hâc vice, ſolummodo hic de peculiari quodam inebriamine, quod liquidi formam non habet, agemus, illudque noſtro arbitratu eſt *opium*, quod eſt inebriamen, ſocia tabacum, hyoſcyamum, &c. Quod naturâ ſuâ tale eſt, cum reliqua omnia inebriativam virtutem demum beneficio fermentationis indipiſcantur, hoc vero innatam habet vim inebriantem, quæri poſſet, an opium inebriantem vim poſſideat. Reſp. Affirmando, & probaturi ſumus ſequentibus experimentis & rationibus (quæ ſunt duæ alæ, quibus ad veritatis medicæ & phyſicæ palladium itur, autoritates ne caſsâ nuce dignæ ſunt.) Ex Georgii Andreæ itinerario Indico l. 1. c. 9. p. 12. narrat collega noſter honoratisſimus, *VVedelius* in ſua *Opiologia* l. II. Sect. IV. c. 1. p. 165. de Officio ſeu Opio idem hoc affirmant rerum Indicarum ſcriptores, quod ad mortem deſtinati ſoleant hoc ſumere prius, quam adeant ſupplicium, idque ea præditum eſſe virtute, ut homines quaſi ebrios reddat, & tantam concilient audaciam, ut unus non dubitet viginti aliis ſe opponere. *Uti Salomon jubet vinum ad mortem ituris propinare, ſic hi Indi opium propinant.* Hinc in proverbium fere abiit, ait Nobiliſſ. *VVedelius*, vulgatum apud ipſos eſt objicere: *Opium ediſti:* Quod idem eſt, ac ſi aliquis apud nos dicat. *Temulentus* es. Sique etiam penſiculatè examinemus particulas, quæ opium abſolvunt, quemadmodum ejus analyſin eruditè more ſuo tradit Jenenſis Academiæ Decus D. D. *VVedelius* a. 1. Quod gaudeat ſulphure narcotico, hujusq; vi hominem inebriat, aut in profundum ſomnum præcipitat: illos vero, qui opium quotidie aſſumere conſueverunt, magis inebriat, quàm ut in ſomnum præcipitet. Et ne nunc prolixiores

Opium inebriamen fortiſſimum.

Quæſtio. 2.

res

res ſimus, claudant hunc diſcurſum de opio verba Magni *VVedelii* a. l. l. 1. Sect. I. c. XII. p. 44. ubi ſulphur exſuperat ſal volatile, & in ſe reſolubile, qui effectus ſimiles deprehenduntur in aliis: ita Spiritus Vini, vinum ipſum, crocus, carbonum vapor & alia ſupra delibata eodem ſulphure reſolubili pollent, unde effectus edunt quam ſimilimos. *Opium* itaque eſt inebriamen certiſſimum. Effectus cum Spiritu Vini habet communes, hujusque farinæ ſunt hyoſciamus, ſolanum, mandragora, &c. Quæ ſolo odoratu inebriativam vim communicare valent, & minimè huc lupulum conferre ambigimus. Quid Nicotiana ejusque fumus faciant, norunt illi, quibus hoc fumo, vel ipſam Nicotii herbam maſticare in more poſitum eſt. Quando diſcuſſa eſt vis inebriativa, ſoporiferam vim exſerunt, & ſenſus ligant. Nam particulæ, quæ vim inebriantem inferre valent, ſunt valde activæ, nervos nervorumque principium titillantes; illis abſumptis, agere incipiunt particulæ ſoporiferæ.

§. 7. Illa inebriamina in frequenti uſu ſunt hominibus, & iis plurimùm abutuntur. In Medicina verò crebro adhiberi ſolent tàm in *Pharmacia*, quàm *Therapia*, ut vel ex iis Medicamina, quibus vel ſanitatem conſervant, vel lapſam reſtaurent, parare queant, aut ea adhibent loco menſtruorum, quorum beneficio vires medicamentoſas ex rebus extrahunt. Quænam Medicamina ex iis componant, & quomodo nonnulla, quæ ſua natura inebriamina non ſunt, ea vi inebriante animent & imbuant, dicemus. *Inebriaminum uſus.*

§. 8. Omnium verò primò circa *Opium* pharmacia operoſa & laborioſa eſt, exque eo varia Medicamina parare ſtudet, quid Opium ſit, aut unde deſumatur, nunc non diſquiremus, eo labore pro nobis defunctus D. D. *VVedelius.* Eſt vero pharmaciæ duplex Methodus, quæ opium præparat, ex eo Medicamenta officinalia fiant. Prima Methodus Galenica, altera Chemica vel Spagyrica eſt. *Galenica Methodus Spinas, Roſas Chemica legit.* Quare non multùm utilitatis arti noſtræ poſſumus promittere de Galenicorum præparationibus, cum illæ circa corticem verſentur, nucleum non attingunt, hinc & illi ſatis ruditer hoc inebriamen commodum aliquem uſum humano generi afferre valeat, præparant, *Opii præparatio duplex.* *Chemica optima.*

rant, quemadmodum notum eſt, quare his miſſis ad alias præparationes, quæ ſunt generis Epicœni, neque Galenicæ neque Chemicæ propriè dictæ, progrediemur, quæ inſtituuntur cum *Spiritu Vini.* Harum examen aliquod & ætiologiam inſtituturi ſumus.

Rejicitur opii præparatio per Spiritum Vini.

§.9. Opium crudum uſurpare hactenus nefas creditum fuit, & nemo auſus eſt, hinc variæ præparationes à Medicis & Seplaſiariis excogitatæ ſunt, quas ut plurimum perficiunt Catholico Seplaſiariorum menſtruo, i.e. Spiritu Vini, quemadmodum hoc paſſim videre eſt apud rerum pharmacevticarum ſcriptores, inque variis diſpenſatoriis multæ formulæ vel proceſſus præparationum opii exſtant. Quid vero de iis proceſſibus, in quibus Spiritus Vini recipitur, ſentiendum ſit, nunc mentem noſtram aperire non veremur. Nobis ob varias rationes iſtæ præparationes ſordent, & induci non poſſumus, credamus illos ullo pretio dignas eſſe, nos nequidem caſſa nuce emeremus. Sed rem ipſam nunc aggredimur. (1) In confeſſo eſt: in opio inveniri, ſi ejus analyſin per Vulcanum inſtituamus (1) *Sulphur* oleoſum, (2) Sal quoddam diaphoreticum, ſeu acre & amarum oleum, vaporoſum & volatile ſal. (3) Mercurium, (4) aqueas & terreas particulas paſſivas, & (5) Salinas fixas in capite mortuo reſiduas, Teſtibus *Petro Severino, Helmontio, Quercetano, VVedelio,* &c. Quæ omnia ſummatim ſic exprimit D.D. *VVedelius*, a.I. l.I. Sect. I. c. X. p. 34. Statuimus papaver, inquit, ut alia miſta habere in ſe partes heterogeneas, calidas, ſiccas, frigidas & humidas. Opium illud, antequam in uſum trahatur, correctionem vel aliquam caſtigationem requirit, quoniam (1) illa conſuetudo invaluit, (2) quoniam creditur poſſidere ſulphur lentum & fœtidum, imò narcoticum. Plurimi opinantur, quamvis perperam, hanc correctionem ſatis bene abſolvi per Spiritum Vini. Aſt nobis non ſit veroſimile, cum & (1) Spiritus Vini quoque gaudeat ſulphure narcotico. Quod itaque eodem ſulphure noxio præditum eſt, illud non poteſt eſſe alterius æquè maligni correctivum, potius credendum eſt, quod illa duo ſulphura narcotica utriusq; ſubjecti tàm Spiritus Vini quàm Opii connubio aliquo ſocientur, ſicque ſulphur narcoticum in opio acceſſione

Sulphu-

Sulphuris narcotici in Spiritu Vini magis exaltatur, ſimile enim ſimile attrahit, pariq; particularum figurâ iſta ſulphura gaudent, ita alterum alterius acceſſione confortatur, ſicque eſt malum correctivum. (2) Quando ille Spiritus Vini rurſum ab opio avocatur, ſi non omne ſulphur narcoticum auferat, tamen optimas ejus partes volatiles & electas abſumit, nam Spiritus Vini, ut poſtea probaturi ſumus, Balſamicas particulas prorſus abſorbet, ſibique unit. Et quando opium ejusmodi particularum patitur jacturam, tunc inanime enervatumque | redditur. (3) Opii correctio per Sp. V. eſt idem, ac ſi Sp. V. cum Sp. V. corrigere nitaris: (I) quoniam utrique pares particulæ inſunt. (II) Utriusque pares ſunt effectus. *Celeberrimus VVedelius* l. I. Sect. II. c. IV. p. 62. quædam contra hæc allata excipit, & quaſi pro Sp. V. Apologiam quandam inſtituit, ejusque exceptiunculas paucis examinaturi ſumus. (1) Infert, quòd Sp. V. Salem intactum non relinquat. Vitium, propter quod opium torturam ſubigere cogitur, illud ab eo tollatur, non conſtat in aliquo ſale, ſed dumtaxat ſulphure narcotico, ac dum illud non modo augeat, perinde eſt an ſalem tangat, vel intactum relinquat, in eo non peccatur. (2) Vanum eſſe metum concedimus ultrò, ne particulas narcoticas ſecum auferat, ſed ſolummodò veremur, ne ex combinatione utriusque ſulphuris narcotici, ſulphur in opio mage fiat narcoticum, cum ſimile à ſimili confortetur, aut etiam fortius debilius prorſus deſtruat. (3) Hoc ægrè concedit inſigniſſimus Vir, excipit enim, vim narcoticam non augere, cùm Sp. V. iterum avolet. Reſp. Quamvis avolet, tamen vim narcoticam ſemel opio impreſſam non ſecum rapit, quippe illa duo ſulphura propter naturæ identitatem homogeneam tam arctè ſibi adhærent, ut rurſum à ſe invicem avelli, vel ſequeſtrari nullô modô queant. Ipſe Magnus vir concedit quòd extractum opiatum cum Sp. V. paratum majores habeat vires narcoticas, quam quod fit cum aceto deſtillato. Idem Autor hanc cautelam annectit, debere eſſe Spiritum Vini probè rectificatum, dephlegmatum, aliàs feces, quas ſecum vehit, cum opio relinquit, & hæ ventriculo, & toti corpori ſunt nauſeabundæ. Reſp. Spiritus Vini non poteſt ita rectificari, ut omnibus nauſea-

 bundis,

bundis, quæ inutiles ſunt, ſpolietur. Præſtat ergò hôc menſtruô abſtinere. Vim inebriantem per deſtillationem non amittit, & hæc corpori inimica, præſertim ſi cum tali recombinetur uniaturque, quæ per ſe & naturâ ſuâ eſt inebriamen fortiſſimum. Sicque inebriamen per inebriamen non corrigitur. Neq; inebriamen eſt inebriamnis antidotus, quemadmodum falsò creditur.

Quæſtio. 3. §. 10. Quoniam itaque meritò à nobis rejectum hoc menſtruum opii, videlicet Spiritus Vini, quæri ergò primò poſſet, an ergò citra correctionem opium in uſum medicum venire debeat? Reſp. Opio incorrectô uti, ſi modo ſit mundum & benè purificatum, non veremur: opium incorrectum benignius eſt opiô Spiritu Vini correcto, ſi excipias concomitantia vel ejus compoſitionem ingredientia, quæ vim opii noxiam, ſi quæ ipſi ineſt, infringunt, ſineque additamentis, quo dumtaxat Spiritu Vini correcto Medici uti verentur. Quod ſi itaque Spiritus Vini ſit tàm proportionatum, propriumque opii menſtruum, ut volunt illi, quare ergò tunc opio ſine aliorum admixtione non utuntur, quod & huic præparationi ipſi fidem derogent, & non ſatis tutum credant, niſi farrago medicamentorum aliorum adjiciatur, quemadmodum notum. Et ut plurimùm talia admiſcentur, quæ omnem vim in opio, non tam narcoticam, quàm & diaphoreticam exſtinguunt. Eſtque præterea ſub judice lis, quânam facultate opium ſuam vim exerceat. *Petrus Severinus Danus* c. 7. p. 71. *Idea Medicinæ Philoſophicæ*: Diu multumque, inquit, de opio dubitatum eſt, quâ ratione in tanta amaritudine, ſtupefaciendi virtus excelleret. Nos, ſubſtantiarum factâ ſeparatione, ſulphur vel oleoſum quippiam deprehendimus, planè narcoticum: Ejuſdem naturæ ſulphura autem conſpexeramus, eâdem induſtriâ, in multis naturæ partibus, in vitriolo, nitro, ſalibus ferè omnibus, in ſulphure vulgari, in herbis plurimis. Itaque nec calori, nec frigori, nec humiditati, nec ſiccitati, nec tenuitati, nec craſſitiei, hanc opii proprietatem aſſcripſimus, ſed tali corpori, i. e. ſulphuri narcotico. Eâdem ſeparatione, anatomiâ, analyſi, in opio ſal quoddam diaphoreticum deprehendimus, quòd ſubtili reſolutione penetrandô ſudores movet, &c. Hactenus inſigniſſimus *Severinus*, cujus

Quâ nam facultate opium operetur.

Tracta-

Tractatulum magni facimus. (& non dubium, quòd ſi hic Magnus Vir in noſtra corpuſculari Philoſophia informatus fuiſſet, ipſi *Helmontio*, *Sylvio*, *Williſio* multis paraſangis eſſet præferendus; ſolida quidem Medicinæ fundamenta habet, at culturam aliquam requirunt, non ſecus ac recens ſata, quæ ſi debitâ culturâ deſtituuntur, haud adoleſcunt: idem accidit illuceſcenti Veritati Medicæ, quam ex puteo Democriti *Severinus* extrahere conatus, ſed in conatu defecit, &c. Quoniam parcæ vitæ ejus minimè pepercerunt, hinc unà cùm viro tantum theſaurum tantamque lucem artis noſtræ Reipublicæ eripuerunt, terminis utitur non æquè obviis, qui cûm enucleationem deſiderent, aliquis iſtis Myſteriis ſuis corticibus adhuc incluſis evolvendis manum admoveret, eſſet optandum, ſed quoniam uunc Medici in tres ſectas ſint diviſi, alii Helmontium, alii Sylvium, alii VVilliſium ſequuntur, Paracelſica neglectim habetur, in eundemque Veternum præcipitatus eſt *Severinus*, ſed profectò præter ſuum meritum. Ignoſce nobis L. B. quòd in ejuſmodi bivium ſeceſſerimus) Aſt revertemur in viam. Opio omnium optimè ea conveniunt, quæ olim in M. C. S §. 33. p. 65. ex Celeberrimo *Wurdig* adduximus (Tract. de Spirituum Medicina l. 2. c. 3. §. 10.) Inde etiam unà liquet, quâ ratione narcotica & ſoporifera medicamenta ſomnum inducant, & quidem, non frigiditate ſuâ, multò minùs caliditate, potiùs opacitate ſuâ, quâ ſpiritus nimiûm lucidos, pellucidos, radiantes nigrore & craſſitie ſuâ obfuſcant, obſcurant, opacant; & hôc modò noctem & tenebras inferunt opiata & papaverina, quæ ſomnifera ſunt: Omnia primâ fronte alba quidem apparent & lactea, ſtatim autem & quàmprimùm ſuccus lacteus exſiccatur, extemplò nigricat & liveſcit, exhibetque nigrore ſuô, livore & ſignaturâ ſuâ atrâ haud obſcurum obſcuritatis ſuæ & tenebricoſitatis internæ teſtimonium & documentum. Hîcque lucem fœneratur ſententia Magni *Severini* d. l. c. V. p. 41. 42. In his quatuor naturis incorporeis, inanibus, vacuis, lucem & ſeminales rerum omnium rationes, incomprehenſibili Magiâ impoſuit Creator, virtute verbi & ſpiritûs illius, qui ſuper aquas ferebatur; principia corporum adjungens, quibus induerentur in mundanam ſcenam prodi-

Laus Severini.

Quomodo opium ſomnum inducat.

proditura. Ita opium, antequàm ſolvatur, alio cortice involutum eſt, ex quo ſolvi debet, antequàm ſuum characterem poſſit manifeſtare, qui eſt opacus. Quando nunc opium (ſunt Verba noſtra ex *noſtra Methodo cognoſcendi ſimplicia Vegetabilia.* §. 33. p. 65.) aſſumitur ab homine, tunc ſaltim illud opium in quandam auram tenebricoſam (compedibus quippe ſuis ſolutum nihil aliud eſt) diſſolvitur, & hâc tenebricoſâ aurâ lucem microcoſmicum obſcurat, diemq; microcoſmi in noctem transformat, hinc homo in ſomnum labitur, qui tamdiu durat, donec aura illa ſpirituoſa luciditatem ſpirituum obnubilans opii ſit diſcuſſa, hæc autem in opio crudo potentior fortiorq; eſt, quàm in præparato. Ignis enim tunc ſpiritum abſumit, quoniam conſiſtit in particulis ſalinis volatilibus, quæ habent analogiam intimam vel characterem cum materia ſomni, quæ ſomnum in corporibus animalium gignit, ſiq; opium propinetur, illud illicò materiam ſomni luciditate ſpirituum concentratam extendit, expanditque, adeò ut ex concentrationis ſuæ puncto, in quod luciditas ſpirituum compegit, evaporet, totamque ſpirituum Oeconomiam invadat: & ut antea luciditas ſpirituum materiam ſomni concentravit, eodem modô vel ſimili ritu expanſa aura noctifera luciditatem ſpirituum concentrat. Sicque opium non aliter debet conſiderari ac *Magnes Somni*, ſique ſaltem aliquot grana *opii* ſint data, illa illicò materiam ſomni activant, expanduntque, ſpirituumque luciditati evibrandæ auram nigricantem opponendo remoram faciunt, evibratam coarctant intra anguſtos cancellos. Ita in medio die Macrocoſmi, nox ſuboritur in Microcoſmo. Nam quamvis (a. l. p. 64.) Somnus partim dependet ab analogia, quæ intercedit homini Microcoſmo cum Macrocoſmo, ejusque actionibus & paſſionibus viciſſitudinibusque, quæ contingunt in ſyderum ſphæra; ſic certum eſt à tenebris, quibus mundus involvitur circa noctem, ſomnum produci; tamen opium in medio die luce cœleſti coruſco macrocoſmi, in microcoſmo noctem facere poteſt: nam dum opium ſolvitur, ibi ſpiritus ille halituoſus tenebricoſus lucem microcoſmicam primigeniam obnubilat, obſcurat, adeò ut ſomnus ab opio inductus nihil aliud ſit, quàm obfuſcatio lucis primigeniæ innatæ Micro-

Quæ in M. C. S. V. adducta hîc prolixiùs explicantur, vim narcoticam in opio explicantia.

cro-

crocoſmicæ, aut ſi mavis, luciditatis ſpirituum obſcuratio. Itaque non opus eſt hîc aliquod ſulphur narcoticum comminiſcamur, dumtaxat reſpiciamus ad particularum figuras. Lucis particulæ ſunt ſummè mobiles, penetrantiſſimæ & primi elementi: Tenebrarum non æquè veloces, aut penetrantes, & tertii elementi, quatenus illud poteſt fieri vaporoſum, & particulas illas lucis involvit, in ſe immergit, & quaſi inviſcat, compedesque quaſi injicit, ſicq; prolixo ſermone, quod olim in noſtra *Methodo cognoſcendi ſimplicia Vegetabilia* tribus monuimus, expedivimus, & fuſiùs de opio loquemur, ſi Deus velit, alias. Dicet fortè aliquis, hunc noſtrum ſermonem de Geneſi ſomni, qui ab opio dependet, eſſe aliquam Metaphoricam vel Rethoricam locutionem. Reſp. Hoc fortè illis videtur, qui qualitativis terminis cuncta involvunt vel obſcurant, aut nominum intemperie & ulceroſâ (ut loquamur cum inſigniſſimo *Severino* a. l. c. 2. p. 26.) prædicamentorum diſpoſitione laborant. Hi ſciant, quòd per lucem primigeniam, & tenebras non intelligamus febriles qualitates, vel cancroſa accidentia, ſed ſubſtantias poſitivas exiſtentes. Confer noſtram M. *cognoſcendi ſimplicia Vegetabilia* §. 53. p. 65. K. aliaq; noſtra ſcripta. De Narcoſi actum: jam ordo Diaphoreſin tangit, & hæc fortiſſima eſt in *opio*, celebratiſſimo inebriamine. Hoc eſt, inquit Nobiliſſ. *Svvalve* (Diſq. Therapevtic. Sect. IV. p. 89.) quô Theriaca, quô Mithridatium, quô Diaſcordium & pleraq; antidota ſudores præcipuè eliciunt. Adde Celeb. *VVedel.* (l. II. Sect. II. c. X. §. 7. p. 206. de Medicamentorum facultatibus) Unde non ſolùm, inquit, ſi dictô modô cum aliis miſcetur ſudoriferis, illorum virtutem intendit; verùm etiam per ſe datum ut plurimùm blandum & roſcidum ſudorem conciliat.) Et *VValæus* (M. M. p. 65.) Expertus ego ſum, addit, hæc duo electuaria, abſque opio præparata, ſudorem prorſus non noviſſe. Horum autorum ſententia nunc eſt expendenda, tumq; Diaphoreſeos ætiologia tradenda. Opium vi diaphoreticâ pollere ultrò fatemur; aſt omnem vim diaphoreticam, quâ Theriaca, Mithridatium, Diaſcordium prædita ſunt, ſoli opio velle acceptam referre, eſt poſtulatum nimis liberale: multa illa electuaria ingrediuntur, quæ ſunt naturâ ſuâ diaphoretica,

Opium quomodo vim ſudoriferam exſerat, ſingulari diſcurſu inquiritur.

Vis ſudorifera in Theriaca, &c. non dumtaxat opio debetur.

retica. (2) Quod VValæum attinet, dicimus, hæc Electuaria fortè ſudorem non provocârunt, non quia opium abfuit, ſed vitium fuit in aſſumentibus; eſt itaque opium cauſa ſocia in iſtis Electuariis ſudoris vel diaphoroſeos, minimè ſolitaria, neque cauſa ſine qua non. Quomodo vero opium ſudorem moveat, ſi quæramus ex Galenicis, reſponſum tam in promptu habent, ut idiota ignorantiam: eſt occulta qualitas, vel eſt ejus proprietas ſpecifica: utrumq; obſcurum. Quid de qualitatibus ſentiendum ſit, diximus paſſim in N. M. C. S. V. & *Ætiologia* F.p. §.I. Nos convertimus nunc ad ſcrutinium particularum, quæ ſunt diaphoreticæ modificationis vel figuræ, ut in qua omnis vis medica radicatur. Surda & cœca eſt, exclamamus cum *Severino* (a. l. c. 6. p. 94.) omnis Philoſophia, quæ horum contemplatione neglectâ, privationes (arrige aures Philoſophe, cui volupe eſt in Ariſtotele conſeneſcere!) informes materias, & mortuas qualitates ſectatur. Opium conſtare ſale volatili diaphoretico, ſupra innuimus. Quô enim plus ſalis volatilis ineſt vegetabili, eô fortius ſudorem movet, ſales quippe volatiles conſtant ex particulis, quæ facillimè poros ſanguinis ſubeunt; hinc etiam confortatur fermentum ſequeſtrativum, ut recrementitias particulas è ſanguine per poros expellat. Confer *noſtram Method. cognoſcendi ſimplicia Vegetabilia* §. 60. p. 136. 137. 138. Opium, uti ſtatuunt autores, eſt fortiſſimum ſudoriferum, adeò ut ſi in quantitate grani unius, duorum vel trium, ultra (quæ progredi non decet, niſi quis temeritatis crimen committere velit, poſthabitâ proximi ſalute.) detur, fortisſimè ſudorem cit hoc ritu: Opium eſt naturâ ſuâ, uti anteà audivimus, valdè vaporoſum, adeò ut ſe in momento expandat, ſicque reſolutum, ſimulq;, fit penetrantisſimum, hinc penetrat vaſa ſanguifera, ſanguinique commixtum in modo auræ, ſanguinis maſſam & habituoſam reddit, hinc illa ſeroſas particulas per poros & foraminula amandat: nam dum ſanguis vaporoſus factus eſt, particulæ liquidiores, i. e. ſeroſæ per emunctoria effluunt, ità ſanguis mundificatur, quare & opium excitat fermenti ſequeſtrativi vim. Nam opium ſanguini commiſtum debet conſiderari, ut fermentum farinæ commiſtum, illud fermentum illicò ſpargit de ſe ſuas particulas

Vide ſententiam noſtram de ſalibus volatilibus in noſtro Phœnice Botanico, §. XIV.

& ato-

& atomos, quæ particulæ incipiunt activare particulas farinæ; poroſque magis expandere, ſpiritus incluſi & ſub dominio formæ ſpecificæ ſubacti ſic activati, compedes & vincula ſua ſolvunt; hinc tota maſſa farinacea, quæ antea erat compactior arctioribus poris conſtabat, fit reſolutior, levior, adeò ut poſſit fieri ſequeſtratio craſſiorum particularum. Eodem ritu opium ſanguinis maſſam compactiorem reſolvit, poros in eò expandit, qui cùm ſic aperti facti materiam eam, quæ iis poris inhæret, in halitum converſam eliminat, per poros vel foraminula amandat. Mirum eſt, quod refert Naturæ Conſultisſimus *Thomas Bartholinus Volumine I,* Actor. Haff. Obſ. XII. p. 95. de adipe cujuſdam Balænæ, ſi illo veſcatur homo, per poros cutis penetrat, ut veſtimenta tingantur flavo colore & fœteant. Adipis enim ejus tanta eſt ſubtilitas, ut vaſis ligneis vix contineatur, quin penetret. Profectò ſubtilis adeps. Ita neque opium in ventriculum immiſſum diu illic moratur, quia ſtatim juxta naturam ſuam, quâ reſolubile reſolvitur, inſtarque auræ ſeſe ſanguini commiſcet, diaphoreſin fortisſimè promovet, perque totam œconomiam corporis diſpergitur. Hocque nunc de diaphoreſi ſufficiat. Nunc & paucis indicandum, quid de tali diaphoreſi, quam ſomnus comitatur, ſentiamus. Illa ſudandi Methodus nobis valde arridet, corpus noſtrum nunquàm meliùs vel faciliùs ſudore perfunditur, quàm quando amica quies ipſum occupavit. Nam (1) illîc corpus placidè quieſcit, & non incongruô motu ſeſe agitat, ſicque frigida aura ipſum afflare valeat, & ita pororum conſtipatio queat ſubſequi, quæ ſudorem intrò repellat. (2) Somnus, ut meliùs ſudationem poſſimus perferre, facit, quoniam ſpiritus noſtri corporis ſimul refocillat, & recreat. Ita in illa placidâ quiete natura ſui mundificationi optimè vacat, quando nunc ſpirituum luciditas, ab opii vi vel ſomno concentrata, ſeſe expandit, invenit ſuum diverſorium particulis heterogeneis mundatum, quæ antea luciditatem illam valdè obſcurabant, ejusque volatilitati remoram ponebant, tota natura confortata alacrior ad ſua munia revertitur, & materiæ morbificæ inſultui fortiùs reſiſtit. Quare nos valdè probamus illa ſudorifera, quæ

ra, quæ unà & ſomnum vel blandam quietem cauſantur. Quàm optima verò hæc ſudandi methodus ſit, ſunt nihilominus caſus, in quibus illa non invenit locum, habetque ſuas cautelas, quas prudens Medicus obſervabit; eas autem hîc tradere non patitur inſtituti ratio, fiet fortè alibi. Anodynam vim, qua opium ſeſe recommendat, jam examinabimus: dolorem atrocem lenit & demulcet, ſi dentur aliquot grana; quod arbitramur hoc pacto fieri. Opium, uti diximus, eſt facilè reſolubile, & blandam auram ſomniferam exhalat, illa aura ſeſe particulis lancinantibus & vellicantibus admiſcet, illarum ſpicula obtundit, motum iſtum ſerrantem, qui dolorem infert, reprimit, & quando tum paulatim ſomnus ſuperinducitur, omnis dolor quieſcit. Quare in ſopiendis doloribus opium apprimè eſt utile & neceſſarium, imò quaſi ſacra anchora, ad quam tàm Medici, quàm ægri confugiunt. Hæc omnia ſi perpendamus, claret, quòd Spiritus Vini non ſit homogeneum opii menſtrum, ſed longè aliud deſiderat, ſi aliàs ritè debeat præparari aut corrigi juxta ſuarum particularum modificationem.

Examen vis anodynæ in opio.

Laus præparationis opii Langelottianæ.

§. 11. Celeberrimus D. D. *Joel Langelott* ſingularem opii correctionem olim Magno *Thomæ Bartholino* (uterque Magnus noſter Patronus) & jàm noviſſimè Leopoldinæ Societati perilluſtri communicavit, quæ poteſt apud Excell. *Thomam Bartholinum* in ſuis Epiſtolarum Centuriis, & Ann. 3. Ephemeridum Curioſ. videri. Aſſcriberem, niſi ubique obvia eſſet, & omnium manu tereretur. In *noſtra Methodo Cognoſcendi ſimplicia vegetabilia*, §. 57. p. 129. S. Hâc quippe præparatione Langelottiana opium particulis tenebricoſis plenum exaltatur ut capax fiat particularum lucidarum ignearum, ut unà cum iis non tàm obnubilet obſcuretq; lucem primigeniam microcoſmicam, particulam lucis primigeniæ macrocoſmicæ, quàm potiùs blandè, tutò, citoque mulceat, ſopiatq; nimiâ luciditate volatili effrenem Archæum, placetque. Hocque compoſitum Langelottianum dignum eſt, in omnibus officinis pharmacevticis proſtet, & omnibus correctionibus, quas hactenas vidimus, præferimus. Olim in *noſtro Prodromo Lexici* p. 363. 365. 366. 369. 370. opium correxi cum oleis. De quâ correctione & videri poteſt *noſtra idea Diſpenſatorii.*

ſpenſatorii. Huic correctioni multum tribuimus; ſic vires Balſamicæ cùm opio ſociantur, ſicque evadit præſentiſſimum anodynum, quôd in colicis doloribus vel arthritide, podagrâ magnum ſolamen affert tàm intrinſecè quâm extrinſecè exhibitum. In bilioſis verò affectibus fortè non æquè proficuum vel utile eſt. Tunc temporis opium correctum ſumſimus, jam verò ſumeremus crudum, à ſuis ſordibus ſaltem benè mundatum. De aliis opium præparandi methodis quidem ageremus, aſt ſic fortè extra propoſiti cancellos raperemur: ut itaque dumtaxat preſsè inſiſtamus noſtro propoſito, illam materiam in aliam occaſionem commodiorem mageque propriam rejicimus.

§. 12. Hoc famoſum inebriamen opium multa compoſita, ut Theriacam, Mithridatium, Philonium perſicum, Romanum, Trypheram magnam, Requiem Nicolai, Diaſcordium Fracaſtorii, aliaque ingreditur. Superiùs quæſtionem eam ventilavimus, an hæc compoſita vim ſuam diaphoreticam ab opio mutuentur, adeò ſi eo careant, etiam nullam vim ſudoriferam habeant. Reſp. Negando, jam noſtræ negativæ plures rationes adducemus: ut primò de *Theriaca* dicamus, ejus prolixam farraginem ingreditur *opium* in quantitate unciarum trium, hinc etiàm quælibet *drachma* Theriaces $\frac{3}{4}$ partes grani opii continet. Compoſitum Theriacæ nunc ingrediuntur ultra 60 ſpecies, & plurima in ſunt, quæ ſudorem ſine *opio* ciere queunt. Mithridatium Damocratis quinque drachmæ opii complent, & quælibet drachma iſtiùs compoſiti habet $\frac{1}{4}$ partem grani opii. Species ultra 40, ex quibus plurimæ aptæ ſunt provocare ſudorem etiam ſine opio. Drachmæ duæ opii præparati Diaſcordio Fracaſtorii inſunt, licet & hoc compoſitum ex talibus ſit conflatum, quæ etiam ſine opio vim diaphoreticam habent. Et quid de Theriaca diateſſeron, quæ nullum omninò recipit, tamen habet vim alexipharmacam, etiam à multis præfertur ipſi Theriacæ Andromachi. Theriaca Andromachi, & Mithridatium Damocratis, quàm famoſiſſima etiam ſint compoſita, ſine ullo concinno ordine ſunt conflata, inque multis indigent reformatione, de quibus in noſtra Anatome horum Medicami-

num

num plura, Deo volente, dicemus. Ex his allatis ſatis patet vim ſudoriferam, quâ hæc opiata ſunt prædita, non dumtaxat opio eſſe aſſcribendam, juxta *Svvalve*, *Wedelium*, & *Walaum*, qui Magni viri hîc patiuntur aliquid humani. Quæri etiam poſſet, an opium circulationem ſanguinis promoveat rapidiorem?

Quæſtio. 4. Reſp. *Thomas Willis* patriæ ſuæ Angliæ, imò totiùs Reipublicæ literariæ, dum ſpirant, Decus, in ſua pharmacevtice Rationali (Sect. V. c. I. p. 185.) ut *ſudor copioſus*, & facilè erumpat, hæc tria requiruntur; ſc. *primò, ut ſanguis plus ſolito effervescens rapidiù circuletur*; &c. Nolumus hoc loco prolixè & fusè mentem noſtram de ſanguine peridromo aperire; quæ nobis in omnibus, uti hactenus autores eam docuerunt, non ſatis facit, & quid olim de hoc circulari motu ſcripſerimus, poteſt videri in *noſtro*

Circulatio ſanguinis in dubium vocatur & merito. *ſcrutinio Nigredinis poſterorum Cham* §. 1. & aliàs. Tantùm hîc dicemus; *quod hactenus nulla experimenta nullaque argumenta eum motum tàm ſolidè aſſeruerint, ità ut exinde conſtet revera hunc m[otum] dari.* Primarium aliquod experimentum in quo omne robur probationis collocant, in *noſtro prodromo Lexici* (p. 490. 491. 492.) refutavimus, qui locus poteſt videri. Sed revertimur ad *Williſium*, ſanguis rapidiori motu, ſi diaphoreſis ritè procedere debet, circumferatur, minimè quid, cadit ſic hoc primarium requiſitum: ſanguis quippe motum ſuum circulationis, ſi aliqua detur, (nos hîc ſyncretiſmum quendam fovemus, & aliquod interimiſticum dogma, donec veritas ex puteo Democriti ſit extracta, tuemur) uniformem non tàm facilè exuit, licet plùs ſolitò incaleſcat & effervefcat; exindè tamen non ſequitur major circulatio. Et quòd infert ſupralaudatus *Willis* p. 186. *quatenus ad crebriores & vehementiores cordis ſyſtolas, majori impetu circumpellitur*: Illud omne ſoli incaleſcentiæ cruoris tribuimus, tumque fuliginum ſeparationi. Quare neque opium, licet ſudoriferum ſit, ſanguinem circa ſuum axem rapidiùs circumgyrat, eſt locutio ſatis inſulſa, & terminus creberrimus. Sed quid multis? inſunt huic venuſto corpori nævi, qui ut deleantur, noſtram operam aliquando impendemus. Initium fecimus in noſtra *ætiologia Facultatis purgatricis*, & benignior rerùm facies plura proferet.

§. 13. Pro-

§. 13. Prolixè nunc aſſeremus, iſtis Electuariis vim diaphoreticam non competere propter *opium*, licet illud ſudoriferum ſit, concedatur. Poſſet nihilominus contra opii vim ſudoriferam hæc inferre. (1) Quòd ſpiritus liget, ſic quippe *Williſius* (l. de Morbis convulſ. c. 5. p. 45.) Quòd autem huic ægrotæ opiatarum uſus ſomnum placidum, absque ſolida ſpaſmorum conſequentia accerſivit, ratio erat, quia ſpiritus animales, utut irrequieti & furentes, particularum tamen narcoticarum implexu, velut catenis injectis ligabantur. Superiùs notavimus ex eodem *Williſio*, quod ad diaphoreſin neceſſe ſit, ſanguis rapidiùs circuletur. Ergo & ſpiritus liberioris erunt motûs, quod ſi nunc ſpiritus ligentur, & ſanguis remisſiûs circulatur, ſicque diaphoreſis juxta mentem VVilliſii non poteſt ſuccedere, & per conſequens, neque opium eſt ſudoriferum: ſed huic argumento nullum robur ineſt. De facultate opii Diaphoretica curioſè nonnulla literis mandavit *Celeberrimus Williſius* in Pharmaceutice rationali (Sect. VII. cap. I. p. 176. usque ad p. 138.) qui videatur. *Nullum argumentum.*

§. 14. Claudimus diſcurſum noſtrum de ejus præparatione verbis *Celeberrimi Wedelii* l. II. Sect. II. c. VIII. §. 7. p. 126. *Pharmaciæ.* Sic extractum opii, inquit, vel Laudanum ſimpliciſſimum ex ſolo opio factum, longè præferendum eſt, noſtra quidem ſententia, omnibus Laudanis hinc indè proſtantibus, cùm eſſentia ſpecierum diambræ, diamoſchi dulcis, magiſterio perlarum, coralliorum & ſimilibus factis, ipſa enim hæc pro extemporaneo uſu longè feliciùs adduntur pro rei intentione, & variatione circumſtantiarum. Itaque etiam malumus opio ipſo uti, vel ejus extracto, quàm ſi tàm multiplex farrago medicamentorum ſibi invicem contrariorum ejus vim obtundat. Nos ſæpiùs opio crudo feliciſſimo cùm ſucceſſu utimur, illud terimus cùm Spiritu Salis, Sulphuris, Vitrioli, vel Nitri, acidum quippe ſulphur narcoticum exſtinguit & abſorbet, & pro rei intentione alia Medicamenta admiſcemus. Quemadmodum nonnulli peccant, qui tam multiplicem medicaminum farraginem opio ſociant: eodem modò & multi delinquunt, qui omnibus Medicamentorum formulis hoc inebriamen ſæpiùs citra neceſſitatem *Multa non debent opio commiſceri.*

commiſcent, licet morbi natura reclamet, & Medendi Methodus contrarium jubeat. Hi tamen præ cæteris volunt videri optimam Methodum ſequi.

§. 15. Jam de uſu & abuſu opii in Therapevſi agendum eſſet, verùm hanc tractationem ſibi vendicat Sectio ſecunda hujus operis. Quare ad alia tranſimus. Spiritum Vini uſurpant, vel potiùs abutuntur tàm Seplaſiarii quàm Medici, quando volunt vim catharcticam elicere ex pharmacis purgantibus. Ita *Williſius* tale extractum concinnat, *Pharmacevtices Rationalis* Sect. III. c. II. p. 114. Recip. Radic. Jalap. ponderoſ. nigr. & ſplend. craſsè contuſ. lib. I. Sp. Vini lib. III. digerantur clausè & calidè per duos vel tres dies, dein ſpiritus tinctus in cucurbitam vitream effuſus ad quartæ partis remanentiam evocetur, cui cum aqua frigida inſtillatur, Reſina ad vaſis fundum præcipitabitur, quæ à ſordibus abluta, & exſiccata ſervetur ad uſum. pulv. ejus Doſ. Gr. VI. ad gr. XII. vel XIV. Hujus præparationis talem ætiologiam connectit *Willis.* In hac præparatione, inquit, Spiritus Vini extrahit ſulphureas iſtius concreti particulas, eoque faciliùs, in quantum hæ priùs ex ſe ſeparatæ & ſimul collectæ in mixto fuerunt; prout ex venis reſinoſis, & ſplendentibus colligere datur, dum pars ſulphurea extrahitur, aliquota etiam ſalina conjuncta videtur; quamobrem reſina hæc graveolens & ſapore acris fortiter purgat, & facilè inflammabilis exiſtit. Hoc in minore quantitate & fortiùs, quàm ipſummet mixtum, operatur; in quantum particulæ omnes, activæ, hebetioribus amotis ſimul concreſcunt. De hâc præparatione, tumque de præparationis ætiologia mentem noſtram aperiemus. Eſt quidem communis iſta reſinæ extractio, aſt nobis illa non arridet cùm exindè pharmacum hôc non reddatur tutius vel benignius: nam reſina ſola propinata abſque commixtione aliorum tormina immania gignit in ventriculo, præcipuè inteſtinis: poris quippe illis membranarum inteſtinorum tàm arctè adhæret, ut exindè avelli nequeat ſine torminibus & cruciatibus vehementiſſimis, quemadmodum palàm eſt. Committunt ſic aliquid humani, qui reſinoſis particulis catharſin tribuunt. Contrà quam ſententiam antè annum in noſtra *ætiologia* F. P. argumentati

Spiritûs Vini alius abuſus.

Objiciebat mihi aliquando quidam, qui ſibi omnem ſapientiam dudum degluti ſſe viſus eſt, me non eſſe chemicum, quoniam denegabam reſinoſis particulis catharſin. Reſp. illi nunc publicè, chemiam hôc in pacto

neutri ſententiæ patrocinari; Et aſſerò ipſum chemiam nōndum primis labris attigiſſe.

mentati ſumus, quòd hoc pacto olea cuncta eſſent pharmaca cathartica, præprimis *Nux Muſcata*, quæ ſatis pinguedinis oleoſæ poſſidet; quis autem aſſeret, vel illi tribuet vim catharticam? quòd ſi nunc reſinoſæ particulæ alvum laxent, quid magis laxabit, quàm nux Muſcata; ut quæ tota pinguedo vel oleum, tota in oleum diffluit, etſi ſulphur & reſinæ particulæ non differunt, tota nux Muſcata ſulphur eſt, ſicque juxta eorum hypotheſin eſſet purgans vehementiſſimum, vide *noſtr. a. l.* §. VIII. quòd argumentum licet illîc ſatis prolixè contra reſinoſarum particularum patronos (qui ſolùm ex *Williſio* ſapiunt, quemque ſi eis ademeris, tàm acutè diſcurrunt, ut blenni!) defenſaverimus. Pauca quædam, quæ & his lampadem præferunt, mutuabimur ex artis, & naturæ Conſultiſſimo D. D. *Wedelio* l. II. Sect. III. C. IX. §. I. p. 151. *Pharmacia* in A. F. *redactâ. Eſſe verò olea*, inquit reſinas liquatas, patet tùm à priori, tùm à poſteriori: quòd enim reſinæ ſunt in concreto, & ſubſtantiâ ſuâ ſolidâ, id ſunt immutata hinc ipſorum olea; hinc olea fiunt vel ex reſinis vel reſinoſis, unde quæcunque nec reſinæ ſunt, nec reſinoſitatem in ſe habent, ſive concentratam & conjunctam, ſive diſperſam & uniendam, illa oleum fundere apta nata non ſunt. Hæc itaque collata cùm noſtris rationibus, opinionem illorum rejiciunt, quâ reſinoſis particulis catharſin tribuunt, nos malumus eam vim derivare ex particularum figura. Revocabimus & hâc vice ad examinis incudem reſinam Scammonii, quemadmodum ejus compoſitionem tradit inſigniſſimus *Willis* a. l. Sect. III. C. II. p. 115. Et ità habet. *Hac ſimilitu*, inquit, paretur: verùm in iſto medicamine in quantum particulæ ſalinæ inter diſſolvendum complures evadunt, nec in reſina cùm ſulphureis ſimul omnes colliguntur, operatio ejus mitior & debilior eſt, quàm totius mixti. Quamvis enim ſulphuris copia ingens Scammonio inſit, à particulis tamen ſalinis operatio ejus plurimùm dependet. Quapropter dum pulvis ejus à ſulphure accenſo fumigatur, vis purgans multum infringitur: quatenus ſales acidi cùm fumo emiſſi concreti particulas aliusmodi ſalinas ſubigunt aut figunt. Hactenus *Willis*. Quoniam & nunc reſina Jalapiæ tàm fortiter evacuat, & tàm ſit ſubtiliſata, ut etiam inflammabilis

exiſtat, ergò neceſſe eſt, quòd vis cathartica in reſina ſit collocanda. Reſp. Illa reſina non purgat, quâ reſina vel inflammabilis eſt, ſed potiùs quoniam ejus particulæ ſic modificatæ vel figuratæ. Quòd & ſic reſina Scammonii tàm fortiter non purget, ratio eſt, quoniam illic particulæ ſunt obtuſiores quàm in ipſo Scammonio. Malè quoque fit Scammonio, ſi fumigetur à ſulphure. Omnium optimus proceſſus eſt, quem magnus Sylvius & cùm Scammonio inſtituit, quem ego omnibus proceſſibus præfero & multis paraſangis antepono. Tantùm, alibi plùs de hâc controverſiâ in noſtrâ *Spongia Hippocratica*. Et hactenus nemo auſus fuit contrâ hoc meum aſſertum hiſcere, calumnias expertum eſt.

§. 16. A purgantibus eorumque reſinoſis particulis, in quibus nonnulli perperam contrà corpuſculorum illorum modificationem catharſin collocant, progredimur ad Diaphoretica vel hydrotica, præcipuè quæ ex iis per Spiritum Vini parantur, quemadmodum nunc videbimus. Totque aquæ Theriacales, ſudoriferæ, alexipharmacæ ſunt in uſu, ingens earum eſt catalogus, & nulla officina, quæ non gloriam quærat in ſecretis vel arcanis quorundam liquorum hydroticorum compoſitionibus. Si verò eorum anatomen curioſiùs inſtituamus, vel naturas ſcrutemur, confiteri habemus neceſſe, multa præclara ſimplicia ex vegetabilium claſſe ingredi; verùm hæc ſic ſunt comparata, diſcrepantibus facultatibus gaudeant, illæ omnes debent communicari uni alicui menſtruo, videlicet Spiritui Vini; illas autem facultates Spiritus Vini ſibi unicè vel beneficio infuſionis, macerationis, vel etiam deſtillationis. Verùm enimverò docet experientia & rerum analyſis, multa hiſce ſpeciebus ineſſe, quæ nullam copulam vel etiam unionem aut connubium cùm Spiritu Vini ineunt. Neceſſe quippe eſt, ſubjectum illud recipiens capax ſit tot virtutum, quibus ſpecies præditæ ſunt, & quidem ità vires illæ illibatæ incorruptæque maneant. An verò hoc nobis de Spiritu Vini promittere queamus, valde ambiguum eſt. Quare vel præſtat, tam prolixâ ingredientium farragine abſtineamus, vel etiam menſtruum adhibeamus, quôd

Diſputatio contra Spiritum Vini.

omnium

omnium virtutes efficaces ſibi unire ritè poteſt, easque illibatas promat.

§. 17. Præbeat exemplum Tinctura Bezoardica D. D. *Michaëlis*,, quæ omnium optima meritò cenſetur: conſule elegantiſſimum Excell. Dn. D. *Gothofredi Schultzii* de hâc tinctura tractatum, & noſtrum prodromum lexici pag. 495. ubi revera tam prolixa ingredientum farrago. An nunc e. g. omnia illa vegetabilia ſuam virtutem integram & illibatam in Spiritum Vini deponant? Mihi haud videtur veriſimile. (1) Contrajervæ radix ex India ad nos deferri ſolita (apud allegatum Dn. *Schultzium* p. 40. §. III. C. I.) ſecundûm nonnullorum & ipſius D. Michaelis formulam ingreditur hanc Tincturam, quæ radix medicamentum adverſus venena præſentiſſimum & commune alimentum ſtatuitur, quô animalia, quæ lapidem Bezoardicum nobis ſuppeditant, veſci conſueverunt. Mihi autem non credibile videtur, quod hæc radix vim ſuam illibatam Spiritui Vini communicet, quia venena oppugnat, quippe (I) particulæ in tortura vulcani iſtam figurarum modificationem, quia verè ſunt alexipharmacæ & alexiteriæ, amittunt. (II) Et illæ ipſæ particulæ patiuntur vim à *Spiritu Vini*, vel ab ejus acido, quod ei ineſſe magno conamine evincere multi Excellentiſſimi viri conantur, *Barnerus* Magnus ille artis noſtræ, ATLAS contrarium defendit. Quôd ſi nunc acidum Spiritui Vini inſit, ſtante illâ hypotheſi, tunc illud omnes particulas ſulphureas abſorbet: quòd ſi ſpecies primigenio ſuo ſulphure orbentur, quod tunc remanet, ne caſsâ quidem nuce dignum eſt, vel ſunt meræ terreæ particulæ, vel cæteroquin inutiles. (2) Tradunt autores, quòd Spiritus Vini ſibi uniat partes volatiles aëreas & mercuriales plantarum. Hîc ergò non immeritò quæritur, an ad morborum, qui diaphoreſin poſcunt, curationem ſemper ſufficiant particulæ aereæ & Mercuriales? quod nobis non videtur veroſimile, cûm medicatio debeat fieri per contraria. Sic e. g. ſi morbus aliquis ortum traxerit, ex menſtruo narcotico, quod utplurimùm juxta nonnullos Epilepſiam gignit, quid hîc proderunt particulæ mercuriales; aut in febribus malignis eradicandis ſufficientes ſunt particulæ aereæ & Mercuriales, ubi

Tinctura Bezoardica.

ſanguis

ſanguis diatheſi heterogeneâ infectus eſt. An illam diatheſin, particulæ aereæ & Mercuriales corrigere queunt? Valdè ambiguum eſt. (2(Quæritur quales particulæ hydroſin efficiant? aliqui putant, quôd ſalinæ faciant, ſed eas ſibi non unit Spiritus Vini, unde ergô hydroſis in Tinctura Beozardica vel liquoribus ſudoriferis? Verùm arbitratu noſtro vis illa hydrotica accepta referenda eſt *particulis ſulphureis*, quæ ſanguinem debitò modò incaleſcere faciunt, in quô actu incaleſcentiæ ſanguis ſubtiliſatus, hinc etiam copula heterogenea attenuata per poros eâdem operâ apertos factos exhalat in modò udoris vel ſudoris. Hinc Spiritus Vini nil magis ex plantis, quàm portiunculas ſulphureas attrahit. Sed huic diſcurſui diutiùs non immorabimur. Ergò (3) quæritur; Quôd ſi Spiritus Vini dumtaxat attrahat ex *Scorzonera* particulas aereas & Mercuriales juxta quoſdam? vel ſalinas? vel juxta noſtram mentem ſaltim ſulphureas? in quibusnam ergò particulis illa vis ſit collocanda, quâ venena domare dicitur? hîc revera multis aqua hæret. Noſtro judicio (ſi nobis liberum ſit, ſententiam noſtram interponere) vis illa venena oppugnans evaneſcit; aut neceſſe eſt, eam in particulis ſulphureis collocemus: quòd autem illæ hâc vi alexiteriâ deſtituantur, ex ſequenti experimento clarum evadit. Dentur cani Nucis vomicæ gr. XV. propinetur Spiritus CC. drachma una, & ab inſultu mortis non liberabitur. Neque quicquam auxilii promittere licet ab aqua ſudorifera, vel etiam liquore alexipharmacô. Si verò detur unicornu, optimè illud prodeſſe, ſæpiusque profuiſſe demonſtravit Excell. *Paulus Ludovicus Sachs*, in ſua Monocerologia Cap. x. p. 161. 166. 167. 168. mihi tamen non perſuaderi patior, *Spiritum* hujus cornu æquè profuturum, quod aliquatenus patet ex experimento, quòd idem *Celeberrimus Vir* inſtituit cum Spiritu CC. & malè ſucceſſit p. 173. 174. cujus rei nulla alia ratio, quàm quoniam *Vulcanus* particulis diverſam modificationem à priori longè diverſam infert. (3) Opponimus ex illuſtris *Conringii* Hermetica Medicina l. II. c. VII, p. 268. ubi ita inſit. *In omnibus ejusmodi Spiritibus unum fere idemque temperamentum deprehenditur, niſi quod odore & ſapore nonnihil differant. Veriſſima eſt hæc ſententia* (ait Magnus *Wedelius* l. II. Sect. V. C. II.

Vis ſudorifera eſt ſulphuris effectus.

C. II. §. 9, p. 199.) *quoad affectiones generales, ut adeò perindè fuerit, an Spiritum è Vino, an frumentaceum recipias, uterque enim, ut & Juniperinus & ſimiles, ejuſdem penitus hoc ſenſu ſunt naturæ, ut non opus habeamus curioſè & ſumptuoſè ex abſynthio vel aliis ſpiritum denuò parare & prolicere.* Hinc concludimus, quòd Spiritus Vini ex plantis ſibi dumtaxat copulet particulas pnevmaticas; verùm illæ non inter ſe differant juxta horum Magnorum Virorum judicium, quorſum tantus apparatus, quorſum tàm prolixa farrago ad eliciendum liquorem ſudoriferum? Hinc iſtæ prolixæ compoſitiones aquarum ſudoriferarum in numero magis, quàm virtute ſuperbiunt, & magis faciunt ad ditandos ſeplaſiarios, quàm ut hoc pacto ægrorum ſaluti conſulatur. Et quid multis, ejusmodi aquæ ſudoriferæ ſunt liquores inebriantes, de quorum abuſu mox in *Sectione Secunda* hujus opuſculi plura ſubdere voluptas eſt. Quare præſtat, Medicus morbum curaturus ſpiritum iſtius plantæ, quæ huic morbo adverſatur, per ſe deſtillatum ſine Spiritu Vini, uſurpet e. g. contrà Scorbutum, utetur ſpiritu cochleariæ & conſimilibus. Contrà Eryſipelas ſpiritu ſambucino ex baccis unà cum floribus per ſe deſtillato, quoniam illi ſpiritus vim ſuæ plantæ illibatam illæſamque poſſident, & minimè à Spiritûs Vini ſulphure narcotico ſubactam. Nam ſic ſpiritus ex ſuis plantis utique quoad ſpeciales virtutes (& idem aſſerente Magno *Wedelio* a. l.) inter ſe differunt, & potentiſſimè oppugnant morbos individuales. Non tamen neceſſe eſt, anilem ſententiam quorundam Medicorum approbemus, quâ ſpiritus diſtinguunt in ſpiritus cephalicos, cardiacos, uterinos, ſtomachicos, &c. ſunt otioſorum hominum phantaſmata, & innituntur dumtaxat traditionibus veterum. Sed quæri poſſet, *Quæſtio. 5.* anne ſpiritus rectè diſtinguantur juxta morborum ſeriem, quòd alii ſint apoplectici, alii epileptici, alii antihyſterici, alii nephoritici, alii anticholici? Reſp. Et illa diſtinctio quodammodò vacillat, ſed de hâc quæſtione hîc ex profeſſo non licet agere, remittimus B. L. ad noſtram *Spongiam Hippocraticam*, ubi de his & ſimilibus ſomniis ex profeſſo. (4) *De Spiritu Vini*, cui ſal volatile ineſt, potiùs purum ſulphur, tradit *Glaſerus* in ſua Chimia Gallica, & jam apud *Cratonem Arragoſius* Epiſt. 55. p. 73. & lib. I. Spiritûs

Vini rectificati drachmam ſemis ſpirituum concretorum ſeu ſalis volatilis extrahi, reliquum verò aquam inſipidam eſſe aſſeruit. Idem experimentum adducit Magnus *Wedelius* l. II. Sect. V. C. I. §. 3. p. 194. *Pharmaciæ.* Hîc nunc quæro, an Spiritui Vini, cui tot plantæ fuerunt admixtæ, & unà cùm Spiritu Vini deſtillatæ, ſudorifero plus ſalis volatilis inſit, quàm Spiritui Vini ſimplici, quod nos negamus tàm diu, quàm diu contrarium non probatum eſt. Hîcque rurſum palàm fit, quantum tribuendum ſit iſtis liquoribus ſudoriferis vulgô dictis.

18. Exſtant quoque in variis diſpenſatoriis & antidotariis Balſamorum vitæ formulæ: habet etiam elegantem compoſitionem Excell. *Fridericus Hoffmannus* in ſuo Theſauro pharmacevtico, & ſatis prolixa ingredientium farrago ipſum Balſamum conſtituit, at at, ſi perpendamus iſtarum ſpecierum dotes, illæ omnes debent communicari uni menſtruo, videlicet Spiritui Vini, & in illum concentrari. Et quid dicendum de oleis, quæ cùm omnia acredinem aliquam in ſe habeant, & dumtaxat ſint particulę ſulphureę reſinoſę liquidæ, quomodò ſuum genium vel energiam communicent, ut hinc majoribus dotibus animetur: & quid deponunt hæ ſpecies in Spiritum Vini, niſi ſolummodò ſuum ſal volatile? Et cum itaque omnes ſpecies hoc deponant, oportet, Spiritûs Vini ſalibus volatilibus quàm maxime refertum ſit: tamen dubium eſt, an ex Balſami iſtiûs l. l. ultra drachmam ſemis ſalis volatilis extrahi poſſit, & itaque hoc Balſamum vitæ eſt excellens ebriamen, ſique illi eripueris vim inebriantem, reliquum erit aqua inſipida. Et quid dicemus, ſi omnia olea ſint acida, Spiritus Vini acidus, quid ſit, niſi ſaltem concentrentur acida. Quare multò melius ſibi gratulabitur Medicina, ſi hæcce compoſita in utopiam releget, titulis inſcriptionibusque ſuperbiunt, viribus ſatis deſtituta. Et olim nos huic errori frænum laxavimus, pœnitet facti. Optima Vitæ Balſama ſunt, ſi ſales volatiles concentrentur & combinentur cûm oleis aromaticis juxta *noſtram combinatoriam artem*, quàm alibi trademus, fietque id ſine omni Spiritu Vini vel inebriante liquore, ut in quo noſtrum humidum radicale nihil ſimile reperit. Quare & illa *Balſama Vitæ* tranſeant.

Balſama Vitæ.

§. 19. Hîc

§. 19. Hîc circa inebriaminum uſum & abuſum, quoad pharmaciam ſubſiſtimus, poſſentque multa plura adduci, ſed contrahimus vela (1) ne hæc materies in ſpiſſum excreſcat volumen contrà propoſiti rationem. (2) Animus eſt, ſi Deus annuat, ea, quæ huc poſſent trahi, in peculiari opere *Spongia Hippocratica* dicto, commentario quodam illuſtrare; ne ergò idem bis in ſcenam afferamus, hæc in prægustum delibanda B. L. offerimus. Convertimus ergò nos ad ſecundam hujus operis ſectionem ſcilicet Therapiam, & quomodò in ea inebriamina vel encomia vel vituperia promereantur. *Fit tranſitio ad partem opuſculi ſecundam.*

20. Quemadmodum opium inchoat primam hujus penſi partem, ità ab opio inchoabitur hæc poſterior pars. Opium eſſe inebriamen liquidum, eſt ex anteà dictis (§. 6.) Quid verò operæ pretii in Therapevſi præſtet, nunc videndum. Non poſſumus verò abſtinere, quin hîc inſeramus elegantia verba, quæ de opio facit ſuæ patriæ, dum ſpiraret, coruſcum ſidus primæ ædepol magnitudinis. (Sect. VII, p. II, p. 304.) Hactenus opii bona, ait, ſeu faciem velut angelicam, unà cum juvandi modis, ac rationibus oſtendimus. Pharmaci iſtiùs, velut numiſmatis inverſi, ſi phaſis altera inſpiciatur, planè diabolica apparebit, &c. Et revera ſi opio ſigillum aliquod eſſet inprimendum, tum opium meo judicio in una phaſi deberet morionem cum cultrò hacque voce CAVE: in altera phaſi providum medicum cùm illo *Homeri*; *Novi & ſcio ſingillatim, quæ bona, quæ mala ſunt*, repræſentare. Quòd de opio hîc dicimus, nihil prohibet, quin eodem ſigillo omnia ſignemus medicamina. Quum Medicina nec ſolâ ratiocinatione, nec ſolo uſu: (*Heurnius* comment. in præcept. Hippocrat.) ſed his conſociatis acquiritur. Pharmacà, dicebat Herophilus (apud *Heurnium* Commentario Hippocrat. de purgatoriis remediis) nihil ſunt; & pharmaca manus Dei ſunt: ut enim in uſum flectuntur dextrè vel ſiniſtrè; Itaque ex latisſimo campo Medico inebriamina modeſto examini ſubjiciemus; pharmaceyticè, quoad ratio inſtituti permiſit, præſtitimus, idem & nunc à nobis fiet therapevticè, firtes, ſcopulos, & Sirenes, quæ nos ſæpiùs à regia via (neglectis ratio- *Sectio 2.* *Opii character duplex.*

cinatione & uſu) deflectere faciunt, demonſtraturi, ita tamen Charybdim & Scyllam ſimul evitare queamus. *DEUS ſit Dux*!

§.21. Opium eſt medicamen divinum, & ægrorum ſolamen infallibile, ſi ritè præparatum & correctum adhibeatur. Superiùs quædam de ejus correctione per Spiritum Vini innuimus, quemq; adæquatum menſtruum credit Magnus *Thomas Willis*, quem nos ſuperiùs propter rationes illîc adductas meritò rejecimus. Nō-nemo, qui non infimum artis pæoniæ lumen, arbitratur, opium omnium optimè ſolvi *Spiritu Theriacali*, cui non valdè repugnaverim. Sed antequàm ulteriûs pergamus, mentis noſtræ placitum aperire placet de fumigatione opii per ſulphur, de quâ *Willis* in ingenioſo ſuo Tractatu de pharmacevtice rationali Sect. VII. C. III. p. 196. ita loquitur. Porrò huc referri debet fumigatio ejus cùm ſulphure, eodem ſcilicet ritu, quô Scammonium cicuramus: quippe vapor acidus à ſulphure communi, dum efflagrat, aſcendens, ſulphuris utriusque alterius, tum narcotici, tum cathartici virulentiam ſubigit, aut multum infringit. De Scammonio jam nobis ſermo non eſt, quamvis eam correctionem quoque cum aliis improbemus. Sed de opio dicimus, quòd illud malè præparetur cum ſulphure, quippe hoc pacto virulentia narcotica, ut quæ in ſulphure conſiſtit, magis augetur propter aſſociationem particularum ſulphurearum, quæ ſeſe inſerunt in ſulphur narcoticum opii. Valdè probamus fumigationes Medicamentorum, ſic nos fumigamus opium cum ſuccino, & cum eodem Scammonum inter deſideratas artis ponimus Medicamentorum correctiones per fumigationes, de quibus (Deo volente) peculiarem tractatum meditamur.

Fumigatio opii cum ſulphure improbatur. Et magis improbanda, ſi aliàs vera eſt ſententia Cratonis, quâ ſulphur arſenicalis naturæ eſſe credit, & quo magis ſublimatur, eò proximius ad arſenicalem naturam accedit, fitq; arſenicum. Quamvis in totum non ſubſcribam hîc Cratoni, ex parte nihilo minus illi adſtipulor, fuit quippe Medicus magnæ eruditionis & prolixæ experientiæ.

§.22. Facultates, quas opiū poſſidere dicitur, docent nos, ubinam illud dextre vel ſiniſtrè adhibetur: nam idē medicamen & ſervat & occidit (ſunt verba Heurnii) ut vel temerè vel bonâ tecmarſi in uſum ducitur. Et uti quodlibet medicamen habet ſuam ſphæram activitatis certo ſubjecto, rituiq; operationis dicatam, idē de *opio* aſſerimus. Eſt autem opii operatio per univerſam œconom. corporis, expanſa, adeò ut in totum corpus agat (1) in ſpiritus, (2) in ſanguinem (3) in alios humores. Quod primum attinet, ſciendum eſt: Nos vocabulum ſpiritus non uſurpare Galenicè, quaſi in humani

mani corporis liturgia tres diſtinctos ſpiritus(1)vitales, (2) animales,(3)naturalas agnoſceremus. Solùm unicum ſpiritum catholicum à nobis nerveum dictum, reipublicæ microcoſmicæ aſſignamus, exque hujus anomalo motu univerſam pathologiam derivamus. Contingit quippe ſæpius, quòd vel quantitate, vel qualitate peccet; utroque modò inducitur motus anomalus, qui vel eſt in exceſſu vel defectu talis: in exceſſu fit efferus & effrenis inſtar equi indomiti, vel potiùs naviculæ ventis & fluctib. expoſitæ nauclero clavoq; deſtitutæ. Vel in defectu delinquit, quandò ejus irradiatio in ſuo motu ſuſpenditur. In hunc ſpiritum opium dumtaxat agit immediatè, qui & quomodo, poſteà dicemus. (2) in ſanguinem, qui uti nectar eſt corporis noſtri vivificum, ejusque anima ſpiritus, ità perenni motu indiget, (non diſquiremus hîc, an ſit circularis, de quo ſuperiùs quædam attigimus) illè verò motus eſt naturæ conveniens vel inconveniens; inconveniens eſt vel nimis vehemens, vel nimis remiſſus, quemadmodum nunc omnis in ſuo eſſe & operari dependet à ſpiritu influo nerveo, per conſequens mediatè ſanguinem afficit opium, per modum communicationis; ſpiritus enim vim ab opio impreſſam rurſum eam roſæ vitæ inferunt, non ut hoc pacto integra maſſa inquinetur, doſis quippe eſt nimis exigua, ſed ſaltìm ſpiritus ſanguini ſociatus patitur illam impresſionem, & ſanguis opii vim percipit reſpectu particularum pnevmaticarum, non reſpectu cruoris vel ſeri, vimque illam ſibi reunit ſpiritus, hinc & ætiologia reddatur. Quare multa ſtigmata aut exanthemata aliæque effloreſcentiæ, quæ ſanguini quocunque modò venenato ſupervenire ſolent, in cute aut viſceribus apparent. Et quoniam opium naturâ ſuâ auram tenebricoſam quàm maximè volatilem fundit, hincq; in contentum ſanguinis verti non valet, ſed eam ipſam, auram in ſpiriritum repellit, quem & faſcinat. Confer, quæ in hunc ſenſum eruditè diſſerit *Willis* a.l.p.180.(3) in reliquos humores agit opium, quatenus illi ſunt participes ſpiritus nervei.

Opii operatio.

§.23. Tria verò dumtaxat ſunt, quæ opii uſum ſuadent, hîcque ejus phaſis eſt angelica. (1) Vigilias immoderatas compeſcit: Nam ut vita hominum vigilando & dormiendo (ſunt verba *Heurnii*) exigitur inoffenſo curſu: ſic magna vitæ offen-

Quæ opii uſum ſuadent, ſunt tria.

ſio eſſe ſolet, quando ſomni & vigiliarum nulla eſt viciſſitudo &c. (2) in affectibus inſaniæ (inſania eſt commune vocabulum (inquit *Heurnius*) ad maniam, phrenitidem, & melancholiam) opiata ſæpè cum fructu adhibentur, quamvis interdum noxam afferunt. (3) Et dolores in corpore noſtro obortos demulcet, hincque præſtantiſſimi uſûs eſt, quamobrem meritò nepenthe appellari ſolet (*Willis* a. l.) & remedium verè divinum exiſtit.

Somnus & Vigiliæ. §. 24. Multi ſunt morbi, in quibus vigiliæ quàm maximè ſunt moleſtæ, ut integras noctes inſomnes tranſigant: Quùm verò œconomia microcoſmi requirat, vigiliis ſomnus, ſomno vigiliæ ſtato ordine (tempore noctis) ſuccedant. Quando nunc ille ordo invertitur, utique peſſimè habet œconomia corporis. Quare ille ſtatus æger non adeò malus eſt, caretque periculo, in quo ſomnus benè ſuccedit. Is ſomnus ſalubris (inquit *Heurnius*) & laudandus, qui per morbos eâ ratione initur, qui per ſanitatem iniri ſolet; at homines noctu dormire ſolent, quin etiam id ex naturæ ductu fit. Non malè dicit Heurnius, quôd noctu dormire ex naturæ ductu fiat, propterea quoniam inter microcoſmum & macrocoſmum bella datur convenientia vel analogia. Noctem Deus ſomno, diem laboribus vigiliisque dicavit. Quare fortè nemo tàm ſtolidus medicinam expetat, ſi de die dormire non queat, quùm etiam ille ſomnus, præſertm qui meridiè iniri ſolet, ſaluti incongruus liturgiæque corporis humani contrarius cenſeatur. *Reprehenditur ſomnus meridianus.* Meretur hîc audiri *Heurnius*, qui de ſomno meridiano ſic philoſophatur. Somno enim meridiano nihil peſtilentius, nihil naturæ magis inimicum: quòd eò motu naturam, quæ tunc ſe digeſtioni dat, ad concoctionem invitas, bilis etiam, quæ eò tempore foras moveri ſolet, hujuſmodi ſomno introrevocatur: ubi collecta febrim excitare poterit, vel in atrum excoqui ſuccum: tum etiam ob contrarios ſuccorum motus ex luce foras hos evocante, & ex ſomno intro prolectante. Quare illi homines, de die dormire queant, crimen illud dementiæ proximum non committunt, iccircò Æſculapio Gallum immolent, aut devoti fiant. Sed tum temporis demùm artem Medicam ſollicitant jure, ſi & ſomnus tempore nocturno eorum oculos fugiat. Proindè quando ſpi-

do ſpiritus ita irrequieti ſunt, excanduerunt que nunquam motus & quietis viciſſitudine refocillentur, omnino ad ſomnifera rectè fit refugium. Morbi autem illi ſunt duplicis claſſis, à quibus ſomnis exulat, itâ ut nunquam illi morbi ſint ſine tortura vigiliarum, ſicque vigiliæ in iſtis morbis præbent ſignum pathognomicum & diagnoſin infallibilem, aut vel ſunt iſtorum morborum cauſæ procatarcticæ, hincque & primarius curandi cardo in eô vertitur, ſomnus ipſis hominibus blandus reconcilietur, blandâq; quiete vires refocillante fruantur, quales ſunt phrenitis, mania, melancholia, coma vigil. Comitantur & vigiliæ alios morbos, febres, dolores, &c. Aſt non ſemper priorum morborum vigiliæ proprium ſunt in quarto modò, quòd notetur, Et iſtæ vigiliæ natæ ſunt ex furore prægreſſo vel ſpirituum excandeſcentia, in iſtis morbis ſecundæ claſſis furor aut delirium ſuccedit. In prioribus ſcopus eſt ſomnũ procurando furorem curemus, in poſterioribus vigilias curamus, ne furor ingruat, ſpiritusq; excandeſcant. Quo verò ritu ſomnum opium cauſetur, ſuperius innuimus §. 10. ubi etiam à nobis *Magnes* ſomni meritò ſalutatur. Paucis hoc hîc repetemus. Spiritus noſtri corporis gaudent particulis lucidis & orbicularibus opium particulis tenebricoſis & ad motum ſegnioribus, hinc illæ particulæ opiaticæ ſpiritus in ſuo evibrationis motu luciditati illorum tenebras effundendo, particulis motricibus tarditatem inferendo ſufflaminant. Neque malè, ſi dicamus, fœtorem narcoticũ in ſomniferis ſpirituum naturæ eſſe valdè contrarium, ut non malè ſpiritus hîc comparentur cùm homine cameram fætore oppletam ingreſſuro, quàm citò ille fœtorem percipit, retrahit pedem, proindè ſi corpus vel loca in corpore, quæ ſubire debent ſpiritus, fœtorem narcoticum ſpirent, eum abhorrentes ſpiritus remeant ad locum primigenium, illicque ſeſe coarctant concentrantque, hincque ſpiritus in locis iſtis exiſtentes hoc fœtore faſcinati ſubſident, quieſcuntve, donec materia illa diſcuſſa ſit, tunc rurſum ſpiritus ex centro ſuo in totum corpus ſeſe dimittunt, influuntq; ſicque revertuntur vigiliæ. Non opus hîc, confugiamus ad ſingulares particulas ſomni effectrices, figura particularum dumtaxat attendenda hîc & ubique. Qui non hiſce noſtris contentus, ille conſulat

Quæſtio. 5. Quomodo opium ſoporem inferat.

Excel-

Excellentisſimi *Thomæ Willis Angli* Diatribam de Medicamentorum operationibus, Sect. VII. C. I. p. 287. Quamvis nunc quidem optimum & apprimè utile ſit etiam in iſtis ægris, ſomnus de nocte provocetur, ſed quùm neceſſitas non habeat legem, perindè eſt, quônam tempore ſomnus ipſis ægris concilietur, dummodò ſomnus posſit in iis provocari.

§. 25. Vigiliarum per opium curam, & quomodò ſomnum gignat, diximus ſuperiùs; ſiquè dicamus, quòd ſimili modò deliria, in quibus ſpiritus inordinato feruntur motu còncitati, ſopiant, nihil à veritate vel experientia alienum dicimus, & hæc hîc commodè applicantur. Spiritus quippe in delirio ſimili ritu effervescunt, ut ignis pabuli copiâ efferus factus, quemadmodum ille citò in ſuo vehementiori injectô ſacculô recutitur ſuffocaturq; eôdem modò opium ſpiritus effrenes & excandeſcentes ſopit, tanquam canes venaticos exſpatiari aptos reprimit, & è motu omni paululum ſiſtit, eſt *Phraſis Williſii*, quàm comparationem non admittimus, ſpiritus potiorem analogiam cum igne & luce habent. Quare quando opium propinatur, idem ferme ſpiritibus accidit, quad luci per feneſtras ingredienti, ſubitò velo prætenſo, evenit: Nam uti tunc lux cameram non poteſt ingredi, ſiſtitur quippe in ſuo curſu, & camera manet tenebricoſa, ità etiam ſpiritibus in reliquas corporis partes influxuris ab opio quaſi prætenditur velum: Ità & reliquæ partes ſpirituum irradiationis nòn fiunt participes, hinc & illæ aurâ tenebricosâ refertæ quiete dulci fruuntur, hacque opii vi ſomniferâ ſpirtius faſcinati ab ſuo inordinato motu quieſcunt & feriantur. Idem hîc forte poſſet juxta *Severinum* (Cap. XII. p. 240. *Ideæ* Medicinæ Philoſophicæ) dici. Imbuuntur enim ſpiritus motionum authores, pontagioſis & ſtypticis tincturis motui reſiſtentibus.

Spiritus in delirio quomodò ſeſe habeant.

§. Morbi dolorifici ſunt cephalalgia, pleuritis, cardialgia colica, iliaca, nephritis, arthritis, dolor iſchiaticus, &c. Non diſquiremus nunc prolixè de dolorum geneſi, quomodò illa ſeſe habeat, hoc quippe certum, quòd omnium dolorum ſubjectum ſint nervi, horumque capillamenta, quatenus membrana meninge nervorum matre obvelantur, particulæ acres vellicantes,

cantes, lancinantes, continuique ſolutionem inducentes ſunt *Dolores,*
dolorificæ, quædam corporis noſtri partes ſenſûs expertes
ſunt, illæ quidem, per quas non diſſeminantur nervi, & partes
partibus ſenſibiliores ſunt, illæ videlicet, quæ membranam iſtam
magis vel minùs inplantatam habent. Dolores atroces ſpiritus irrequietant & excandeſcere faciunt, hincq; ſomnus ab illis
exulat hominibus. Vigiliæ ſunt contumaces, vires diſſolvunt, &
ſi perſeverant, furorem & delirium inducere valent; ſuntq; interdum tàm atroces, ut homines in deſperationem acti mortem præ
vita eligant. Ad hos dolores demulcendos opium, exq; eo compoſita recommendantur, ſæpiùsque cùm fructu & levamine exhibentur. Quô autem ritu opiata dolores demulceant, §. 10. diximus
paucis. Hîc adducemus, quô pactô illud fieri arbitretur *Thom. Wil.*
Hunc verò in modum philoſophatur ſubtil. *Willis* a. l. S. VII c. I. p.
296. 297. primò ad dolorem quemvis excitandum aut continuandum peropus eſſe, ut ſpirituum copiæ ſatis uberes usque in parte *De dolorum Geneſi Willis Philoſophema.*
affecta ſcateant: Quippe horum tumultuantium excandeſcentia, diſtractio, & mutua aliorum in alios alliſio, ipſiſſima causa
conjuncta ſunt moleſti iſtiùs ſenſûs, qui dolor appellatur; quapropter ſi nervis conſtrictis, ſpirituum ad locum dolentem affluxus inhiberi, aut multùm diminui poſſit, neceſſe foret, dolorem
ceſſare; eò nimirum, quòd ſpiritus iſti ſubſidiis, aut ſupplementis usque novis deſtituti, tenuiter, & ſparſim adeò in fibris jacerent, ut vix ſe mutuò tangerent, in furorem & indignationem
minimè erumperent. Cujusmodi hîc pro ἀναλγησία accienda
ſpirituum deſtitutio ſivè ſubductio requiritur, aut nulloque
alio remedio, aut ἐγχειρήσεως procurari poteſt, ſæpiſſimè ab opio
produci ſolet. Enimverò à pharmaci hujus particulis τοῦ ἐγκεφάλου oram obſidentibus, non ſolùm quidem ſpiritus extimi,
& velut præcurſores (uti dictum eſt) perimuntur, ſed illorum
intrà cerebri & cerebelli meditullia, mox primæ ſcaturigines,
indeq; in nervoſum genus effluxus valdè ſupprimuntur, adeò, ut
durante opii energiâ, multò parcius & diminutiùs illi in præcordia, viſcera, immò & in quascunque alias partes diſpenſentur.
Hinc pulſus, & reſpiratio de vehementia & crebritate ſua remittunt, & nonnunquàm ſubitò hæc difficilis, & iſte debilis evadit;

plerumque etiam membra quæque ac artus languor inſolitus, ac pigrities inceſſit. Porrò hinc viſcera in ſpaſmo ſive excretorios, ſcil. per vomitum aut ſeceſſum; ſive dolorificos, ut in colica, aut nephritide priùs irritata inordinationes ſuas deponunt: videlicet ob hanc rationem, quia dum in parte affectâ ſpirituum copiæ ſubſidiariæ & ſupplementa deficiunt, pauciores iſti ſuperſtites tumultui, & excandeſcentiæ non ampliùs vacant; quinimò, ut omninò ſubſiſtere, & ſe tueri poſſint, quieti jacent: deinceps verò, quando diſſlatis, opii particulis, ſpirituum intrà ἐγκέφαλον penus, eorumque indè in partes nerveas emanatio redintegatur, ità ut pleno rurſus alveo, illi ad partes affectas deſcenderint, earumque rurſus fibras adimpleverint, illicò ob ſpiritus iterum accumulatos, & ſicut anteà proritatos, iidem ſpaſmi, aut dolores redeunt. Hactenus *Willis* a. l. Quòd Williſii Philoſophema, licet juxta gentis iſtiùs inclutæ acumen ſatis quoque ſit ingenioſum, noſtro tamen palato minimè arridet. (1) Largimur quidem ſpirituum aliquem in locum dolentem eſſe influxum, eumq; ſatis inordinatum. Aſt ille ſpirituum influxus, dolorem non exacerbat; ſed quoniam particulæ inflexiles lancinantes nervorum poris contumaciter inhærent, hinc ſpiritus eas impellunt non ſecùs ut clavos acutos; per ſe quippe particulæ illæ non lancinant aut terebrant, ſed à cauſa aliqua impelluntur; & quemadmodum ictus mallei cuneum in nodum adigit: ſimili modò ſpiritus influi ſuam perſonam agunt in dolore acuendo. Sed non poſſumus hoc *Williſio* largiri, quòd opiata ſpiritus ſuſpendendo dolorem demulceant, ſed potiùs ſedationis doloris ætiologia in hoc ritu ſita, quem §. 10. deſcripſimus. Et tùm etiam non ſufficit ſpirituum ſufflamen, niſi primum ſenſorium quaſi faſcinetur, illudque triſtem ſenſationem non percipiat ampliùs. Et quamdiu illud non fruitur demulcente faſcino, hocque pacto quaſi ſtupeſcit, nullum doloris levamen in humano corpore fieri poteſt. Itaque credibile, quòd vis anodyna ex opio ſtatim invadat commune ſenſorium, illique ſtuporem inferat, hinc facultas illa ſentiendi diminuitur, induciturque blandus ſenſus. Quare quòd *Willis* ſpirituum ſuperſtitum ad excandeſcentiam & tumultum inhabilitati propter

Quomodò opium dolores demulceat.

defectum

defectum influxus ſpirituum tribuit, hoc nos malumus acceptum referre communi ſenſorio, omnis pathologiæ fonti tactusque moderamini. Plura poſſemus contra hanc *Willis* philoſophiam in medium afferre, enimverò illa in commodiorem locum rejicimus, hæcque nunc ſufficiant.

§.27. Fuit hactenus regimen opii in ſpiritus, ordo jam tangit regimen in ſanguinem. Diximus verò ſuperiùs, quòd ſanguis non idiopathicè ſed ſymphaticè vel mediante ſpirituum in ſanguinem influxu, afficiatur; non eſt itaque neceſſe, hîc prolixè, quo ritu ſanguini ſuam emphaſin communicet, philoſophemur, ſuperiùs ætiologiam facultatis diaphoreticæ ſufficienter expedivimus, quare de ſanguine aliisque humoribus aliquid ulteriùs adjiciamus, operæ non eſt pretium. *Opii Virtus in ſanguinem.*

§.28. Fuere hactenus commoda opii famigeratisſimi iſtius inebriaminis. Vertimus nunc opium, & alteram ejus faciem malo charactere ſignatam contemplaturi ſumus. Ibi ſeſe catervatim manifeſtant nocumenta: quum autem noſtrum propoſitum non ſit de cunctis opii incommodis, ne actum agamus, (exſtant quippe apud alios, præprimis apud noſtræ Academiæ *Zephyrum*, tumque & ejuſdem Illuſtris Societatis *Herculem*, quibus ſocia *Willisium*) hîc diſſerere, de potioribus mentem noſtram aperiemus. *Opii incommoda.*

§.29. Quædam gentes, ut nos neceſſitatis ergò, voluptatis gratia opio utuntur, vel potius abutuntur. Et quid opium in iſtis efficiat, paucis complexus eſt *Freitagius* (quemadmodum locum illum adducit *Thomas Willis* a. I.S.VII.C. II.p. 189.) Proſper Alpinus, & Bellonius tradunt, Ægyptios, & Turcas veſci opio, ad comparandam alacritatem, audaciam, venerisque appetitum: addunt tamen opii devoratores, etſi ejus uſu rectè valere & minimè lædi videantur, tamen frigidiores reddi, eorum functiones eſſe deteriores; ebrios, & torpidos ferè perpetuò apparere, fieri comatoſos, ſtupidos, inconſtantes; modò affirmare, modò negare; ut caveant tractare & converſari, ut etiam in dicterium, convitio non abſimilè, quòd ſibi mutuò objiciunt, abierit; *tu ediſti opium*; non aliter, quàm cum noſtrates alicui temulentiam vel ebrietatem exprobrant. *Freitag.* l. de opio c. 3. Hujus hiſtoriæ *Gentes quædam opio voluptatis gratia utuntur.*

ætiologiam nunc aliquam inſtituemus. Tria ſibi Turcæ ex opii eſu, videlicet (1) alacritatem, (2) audaciam, (3) veneris appetitum promittunt. Quòd primò attinet alacritatem, illa ipſa in prompta ſpirituum in artuum liturgiam emanatione conſiſtit, quomodò eam opium cauſari queat, indagine vel ſcrutinio dignum eſt. Superius innuimus, opium eſſe inebriamen, reſpectu ergò facultatis inebriantis iſtam agilitatem ſui devoratoribus infert, hocque ritu: illi homines uſum opii quàm maximè familiarem ſibi fecerunt, hinc etiam opium in longè majori doſi vel quantitate, quàm noſtrates, ut qui granulatim illud propinant, aſſumunt; hinc & illud homines inebriat, quamdiu vis illa inebriativa durat, ſpiritus agiles ſunt; illa facultate diſcuſſa ſpiritus torpeſcunt & quaſi ſubſidunt, arctiusque contrahuntur, quod de agilitate dictum, illud ipſum in audacia invenit locum. Neque hæc quæ jam diſſeruimus, iis ſuperius allatis adverſantur, quòd opium ſomnum inducat, minima quippe doſis opii vim ſuam inebriantem exſerere non poteſt, ſed potius ſtuporem vel torporem facit, tum etiam notum, quòd Turcæ Ægyptiique opiô utantur crudo, quod fortiorem vim habet inebriantem. Nos è contrà correcto utimur, in quo vis inebrians maximam partem exſtincta, proindè etiam illud agilitatem vel audaciam inferre non valet. Sed quomodò appetitum ad venerem efficiat opium, in hujus causâ reddenda aliquam difficultatem collocat ſubtiliſſimus *Willis*. Nulla verò heîc difficultas. Opium ad venerem incitat, non ſemen gignendo corpusque inflammando, ſed quoniam opium habet vim diureticam, hinc quoque tendit verendorum nervos, & muſculi propter vim impellentem diureticam inflantur, hinque ille ſtimulus ad venerem. Stupidi fiunt opii abuſu homines, quoniam ſpiritus vigore ſuo propter abuſum orbantur, & per conſequens memoriæ patiuntur jacturam, proindè ne opii uſus ſit tàm creber, inque doſi nimia, præcavebunt Medicorum filii. Aſt tamen, ne quoq; nimis timidi ſint in opio exhibendo, æquè neceſſarium eſt. Ad amicum examen jam revocabimus *Williſii* philoſophema, quo rationem reddere nititur, quomodò opium conferat ad venerem; ſicque infit. a. l. p. 189. in minori editione pag. 308.

Quòd

Quòd denique aſſeritur, opiata venerem ſtimulare, cum potiùs videretur, ea ſpiritius extinguendo œſtrum illud ſupprimere & domare; dicimus (ſi modò effectum iſtum revera habeat) humorem genitalem, ſpiritusque in eò ſcatentes, non à cerebro deſcendere, ſed immediatè in vaſa ſpermatica ſuffundi: id propter, quatenus opiata ſpirituum intrà cerebrum geneſin impediunt, aut imminuunt, eos forſan uberiùs ad membra genitalia diverti faciunt. Nobiliſſimus *Willis* ſubdubitat, an opium venerem ſtimulet. Nos hâc de re minimè ambigimus, quoniam tàm fortem vim diureticam poſſidet, illamque vim exercendo partem genitalem liquorem (quem ex nervis derivamus) ſimul præcipitat cum urinæ laticè, quô cum turgeant genitalia œſtro ad venerem proritantur ſimul. Quæ cæteroquin *Willis* habet virgulam cenſoriam ſubterfugiunt, illisque accedimus.

§. 30. Quomodò autem ſpiritibus obſit, opium juxta philoſophiam corpuſcularem, tribus innuemus. Spiritus noſtro arbitratu ſunt ipſiſſima Brutorum anima, quæ juxta *Williſium* ignea, huicque igneæ ſubſtantiæ fuliginem affundendô obeſt opium. Illaque anima juxta Carteſium conſtat ex atomis rotundis, iſtarum particularum figuras vitiat opium, & ſegniorem motum inducit, hôcque hîc ſufficiat de opii nocumentis.

Opii incommoda ratione ſpirituum.

§. 31. Quoniam opium ſemper in ventriculum immittitur, nunc ætiologia operationis opii explicanda eſt, quomodô videlicet & hoc locò (1) ſomnum facere (2) dolorem demulcere, (3) ſpiritus ſtupidos reddere, (4) venerem ſtimulare, (5) ſudorem ciere, (6) urinam promovere (7) fluxum Diarrheæ Dyſenteriæque ſiſtere valeat, imò tot effectus univerſi corporis liturgiam afficientes ex unico hoc locò edere poſſit? Et quamvis nunc hâc meditatione ſuperſedere poſſem, quùm de ea re ex profeſſo acturus ſim in noſtro commentario de ventriculo, ut tamen hâc in re deſiderio B. L. aliquatenus reſpondeam, paucis jàm hoc hîc expediam. Ventriculus eſt coquina totiùs œconomiæ microcoſmi fovens in ſe focum, vel ignem, qui ſuas irradiationes per totum corpus diſtribuit, quippe ventriculus ex iis partibus eſt compoſitus, quæ habet inter ſe ſympathiam; ratione ſenſationis nervi, qui per ventriculum ſunt diſſeminati, ſuo de-

Adhuc quædam de opii effectibus, plura in tertia parte noſtri commentarii de Ventriculo, cui perdoctam præfationem, in qua multa oppidò rara & curioſa contra fermentationem Ventrculi propo nuntur, præ

 fun-

misit Nobiliſſ. D. D. Johan. Georgius Volkamer Reipublicæ Noribergenſis totiusq; Alemanniæ noſtræ decus, amicus magnus.

funguntur officio, & quamlibet ſenſationem triſtem vel jucundam cum primò ſenſorio in capite exiſtenti communicant, hocque ritu nervi ſpiritus vehunt & revehunt, quando nunc fermentum opii tinctura, quod quoque eſt nerveæ proſapiæ (ſtomachicum quippe fermentum ex nervis oritur) eſt imbutum, illam ipſam tincturam capiti communicant, hinc in eò ſopor, qui uti ſimul demulcet commune ſenſorium, tunc dolor evaneſcit, quando & hoc ritu emanationes ſpirituum in partes inferiores ſuſpenduntur, etiam fibræ expellentes concitatiores in requiem adiguntur; ſicque præternaturalis alvi fluor & vomitus ſiſtitur. Spiritus verò ſtupidi fiunt ob tenebricoſam fuliginem, quam ſpiritibus opii tinctura imprimit. Non eſt, quis miretur, quomodò tàm exigua opii quantitas omnes ſpiritus in toto corpore afficere poſſit, ille perpendat, quomodò pauca grana aſæ fœtidæ incenſa multis hominibus in camera exiſtentibus pectoris anguſtiam, cephalalgiam inferre valeant. Hæc nunc heîc ſufficiant, reliqua petantur ex anteà dictis, & allegato opere.

De Theriaca quadam. Certum quippe eſt, Theriacam poſſe concinnari ex nobiſcum natis, omiſſis peregrinis, æquè efficacem, ac eſt Andromachi.

§. 32. Thomas Bartholinus unà cum Excellentiſſimis Medicis Theriacam Danicam ex ſpeciebus in Cimbria natis laudabili conatu parare ſtudet, ſi verò omnis vis ſudorifera ſoli opio Theriacæ commixto ſit accepta referenda, ſpecies illæ ſolæ illîc natæ non ſufficient; ſed peregrinis Dîs nihilominus litare coguntur, & forte de nullis ſpeciebus Theriacam conſtituentibus tanta erit difficultas, quam de ſolo opio. Verum enim verò hic Magnus vir facilè huic nodò cuneum inveniet. Quid ſi hîc hyoſcyami ſuccum vel cynogloſſæ ſubſtituant? Et rectè quoque ex Theriaces compoſito agaricum removent.

De opobalſamo conſulatur eruditum opuſculum D. D. Joh. Georgii Volkameri Viri inſigniſſimi. Venena quid.

§. 33. Mercurialis l. 2. de venenis (opium quippe venenis annumerat, verùm ea, quæ de venenis in *noſtra Meth. C. ſimplicia vegetabilia* §. 47. p. 98. 99. 100 101. 102. 103. L. B. releget, & conſtabit, quid ſentiendum ſit de vulgo dictis venenis. Nobis verò venena ſunt ſaltim magis ex opinione hominum, eorumque idioſyncraſiis, quas contrà varias res habent, quàm revera talia ſint naturâ) C. VII. p. 95. de opii effectibus ſic diſſerit: Effectus opii varii & diverſi ſunt, in primis autem ſolet cognoſci opium ex ipſo gravi odore, quem relinquit in corpore illius, qui illud

aſſum-

aſſumſit: nam cùm in ſatis inſigni copia ſumatur, ſi debet nocere, fieri non poteſt, quin amarorem, & gravitatem odoris corpori inferat: ad hæc fiunt ſomni inexcitabiles, exitiales, lethargici, pallor totiùs corporis, ſenſuum ſtupiditas, laxitas genarum, inflammationes labiorum, ut docet Nicander, ſingultus, narium torturæ, præcordiorum divulſiones, addit Scribonius Largus, fieri etiam anhelitûs difficultatem: & Nicander deſcribit faciem eorum, qui opium ſumſerunt quaſi cadaveroſam & Hippocraticam, quod ſcilicet propter caloris exſtinctionem fiant tempora dimiſſa, oculi cavi & nares acutæ, &c. Illa ipſa, quæ hîc de opio recenſent Mercurialis, tribuenda ſunt opio vel Mercurio crudo, correctum enim tàm abominabiles effectus haud edit, neque ſcio, à quoquam fuiſſe obſervatos in abuſu opii correcti. *Qui incorrecti effectus.*

§. 34. Antequàm nunc de opio diſcurſum concludamus, adhuc auctarii loco unam admirabilem hiſtoriam, de opii abuſu, quàm *Willis* recenſet, in quâ mirabiles effectus enumerantur, philoſophicè examinabimus, horumque ætiologiam trademus. Hiſtoria ſic habet, (in Tractatu de anima Brutorum part. 2. c. III. p. 179. & repetit eandem Sect. VII. p. II. c. 188. pharmacevtic. rational.) Alibi hiſtoriam recitavi cujusdam viri robuſti ab opio interrempti, cui ſomnus planè nullus, priusquam ultimus ac lethalis, videlicet mors ipſa ſupervenit; ille ſtatim ab aſſumpto pharmaco de inſigni ventriculi gravamine & frigore conqueſtus, mox languore inſigni cum ſpirituum omnium concidentia, & extremorum infrigeſcentia afficiebatur, atque intra quatuor horas oculos ſuos caligare, & prorſus cœcutire queritans, exſpirabat. Hæc hiſtoria Williſiana ea, quæ ſuperiùs diſtinctione (33) ex *Mercuriali* attulimus, confirmat. Omnium primò notatu dignum, gravamen cum frigore ægrum in ventriculo ſenſiſſe, illud hoc ritu ortum eſſe arbitramur. Opium in nimia doſi aſſumptum illicò calorem in ventrinculo exſtinxit, ipſoque exſtinctò ſpiritus perempti ſunt: ſpiritus quando perimuntur, tranſeunt in vappam, illa vappa ex cadaverantibus ſpiritibus orta gravat & infrigidat: quippe omnia frigida & mortua, calidis & vivis ponderoſiora ſunt: quoniam itaque ſpiritus hanc cadaverationem patiebantur, non mirum eſt, tale gravamen cùm *Hiſtoria ex Willis ejusque ætiologia.*

frigore

ſrigore ægrum in ventriculo ſenſiſſe, in reliqua nunc non inquirimus.

§. 35. Satis de opio, de quo aliàs prolixiùs in noſtro Tractatu de opio oleoſo, quem promiſimus Volum. IV. actor. Haffnienſ. Ad alios proindè inebriantes liquores progredimur, ſuntque ſequentes quàm maximè celebres. e. g. Aquæ antiapoplecticæ, epilepticæ, cephalicæ, liquores cardiaci, ſtomachici, carminativi, anticolici, uterini. Et alia varia Elixiria vitæ, quorum præcipuum eſt illud Matthioli, Aqua Maſtichina Mylii. Horum compoſitorum tot exſtant formulæ apud diſpenſatoriorum ſcriptores, ut eorum numerus vix iniri posſit & quotidiè nova comminiſcuntur compoſita Medici & ſeplaſiarii, quibus magis medicinam obruunt, quàm illuſtrant. Iſti liquores ſpirituoſi aliàs vitæ dicti, mortis fiunt, ſuntque aquæ ſtygis. Multisque revera Elixir vitæ Matthioli fluvius ſtyx fuit. Largimur quidem ultrò has aquas ſpirituoſas & inebriantes egregium habere uſum, ſi prudens Medicus iis uti jubeat, Medicique præſcriptum preſsè ſequantur ægri. Sed cum & nonnullos magnos viros veterum autoritas, aut prædeceſſorum traditio faſcinârit, hinc & illi nimii ſunt in horum liquorum ſpirituoſorum uſu, adeò ut eos promiſcuè præſcribant, & quolibet caſu, ſanguinis diathesin non rectè examinantes, propinent, ſatis ſuperque ſiniſtrè, quemadmodum illud liquidum fiet ex ſubſequenti diſcurſu. Hactenus quidem medici illos errores in ſuis medendi methodis non adeò obſervarunt, multò minùs caſtigarunt, & adhuc, dum pauci ſunt, qui hûc digitum intendunt, aut apud hujuſmodi Syrtes ſtatuam Mercurialem erexerunt.

Notantur aquæ deſtillata inebriantes.

§. 36. Primùm locum occupabunt aquæ vel liquores cephalici dicti inebriantes, ad quos tanquàm ad ſacram anchoram in paſſionibus capitis confugiunt, ſæpiuſculè non conſiderantes, an vitium illud in ſpirituum nimia volatilitate vel fixitate ſtabuletur, quòd tamen apprimè neceſſarium. An affectus ex calida vel frigida, ſicca vel humida temperie ortum trahant, vel quænam particulæ peccent, hominique infeſtæ ſint. e. g. Incidit aliquis ſubitò in morbum attonitum, primum & palmarium, quòd curantes aggrediuntur, eſt, famoſos iſtos ſpiritus, vel aquas apople-

Notatur abuſus liquorum apoplecticorum.

apoplecticas cochleatim unciatimque infundant, & ſæpiùs in tanta quantitate, quæ & bibaciſſimum hominem inebriarent. Dic ſodes, quomodo illi Medici Apoplecticis proſint, quàm tutò, quàm citò, quàm jucundè curent eos. (1) Quàm *tutò*, evitando ſcylam in charibdim præcipitant, ex leviori malo in gravius ruunt. Spiritus ille nerveus humani corporis hinc tàm effrenis fit, ut nullis terminis, nullis ſuæ ſphæræ activitatis cancellis coërceri poſſit. Hinc nervi corporis humani ſtamina & ſpirituum canales per univerſam corporis fabricam ſpiritus diſtribuentes, ſenſus & motus organa debilitantur, roboreque ſuo privantur, qui quùm inebriaminum tyrannide tantam injuriam, tantam ſui roboris jacturam patiantur, unde manebit corpori ſuum robur, naturæ ſuus vigor, quô morbum oppugnare queat? Et ſi quicquam adhuc ſanæ rationis adeſt, cujus beneficio ad Creatorem ſuum ſuſpiria imò pectore cordisque ultimò receſſu concepta ablegare valeant, hæc inebriamina prorſus auferunt, hominemq; adeò dementant, ut temulentus tàm ſui, quàm ſui Plasmatoris obliviſcatur, cùm illo homine non ſecus comparatum ſit, ac cum aliquo temulento bibone, qui usque ad guttur ſpiritu ardente refertus eſt, in quô nihil ſuum officium facit, vel dextrè præeſt, rationis & memoriæ liturgia vacillat, hebesque facta. Idem conclude de apoplectico, in quem ſic cochleatim inebriamina inſtillârunt. Quàm benè ſanguini, nectari illi vivifico, illi inebriaminum propinatores conſulant, quilibet, cui quid ſalis ineſt, colligere valet. Ille ſanguis, in cujus motus ſufflamine nonnulli cauſam apoplexiæ tanquàm in ſubjecto inhæſionis collocant, inflammatur, particulæ ſulphureæ multiplicantur, multiplicatæ igniuntur, hinc totum corpus apoplectici tàm immani æſtu æſtuat, ut de aliquo refrigerio, vel aurâ refrigerante, aerem quippe in debita copia non trahit, quàm maximè ſit anxius; aliquod ità refrigerium anhelat corpus, anhelant ſpiritus, anhelat ſanguis, verùm corpus magis magisque intrinſecâ flammâ uritur, adeò ut totum in flammam abeat, flammâq; ſuffocetur. Et noſtro arbitratu iſtis corporibus idem contingit, quod ſpiritui ardenti incenſo contingere ſolet. Nam ſpiritus ardens incenſus deflagrat, omnique ſua ſpirituoſitate, inter deflagran-

 dum,

dum, privatur, quâ exſtinctâ in vappam vel phlegma transmutatur. Pari modò ardentia illa inebriamina tam confertim infuſ- ſpiritus noſtri corporis, & præcipuè qui in ſanguine ſunt, incendunt, incenſi deflagrant, non ſecus ac Spiritus Vini, deflagrando exuunt omnem ſpirituoſitatem, inque vappam vel phlegma tranſeunt: ſicque corpus ſuis orbatur ſpiritibus, & præter phlegma nihil ineſt. Eſtque præterea apoplexiæ proprium, quam nos in ſpirituum vel rectiùs ſpiritûs nervei diſcraſia tanquàm ſubjecto inhæſionis ponimus, ſpiritus, horumque arcem invadat, illos incendat, inflammet, deflagrare facia, deflagrandoq; in vappam transmutet. Quare & ipſa apoplexiæ tyrannis conſiſtit in eo, quòd ſpiritus vappeſcere faciat. Quòd cum hactenus alii non obſervârint, malè philoſophantur, omniumque peſſimè medicantur. Quippe, ipſæ aquæ apoplecticæ, noſtro arbitratu, nihil aliud ſunt, quàm ipſius apoplexiæ fomenta, quæ non ſecus ac fulmina hominem ſiderant iciuntque. Spiritus fulminis hominem extemplò ſuffocat non aliò modò, quàm ſubitò omnem ſpirituoſitatem in homine exiſtentem abliguriendo, inque vappam transmutando. Et perindè apoplexiæ inſultus ſpirituoſitatem omnem in homine abligurit, inque vappam transmutat, tantòque fortiùs hanc ſuam tyrannidem abſolvere valet, ſi homini apoplexia icto inebriantes aquas apoplecticas adſtantes medicique propinent, non ſecus ac ſi horum liquorum copiâ hominem ſubmergere niterentur. Idem eſt, ac ſi efflagranti igni oleum, mel, ſaccharum, quæ præſentiſſima ignis ſunt fomenta, affundant, proindè peſſimè apoplecticis hoc pacto conſulitur. Quòd ſulphur igni, hoc aqua apoplectica apoplexiæ eſt. Sulphur ignis, aqua apoplectica morbi attoniti fomentum eſt. Nihil nunc inſerimus de anomalis, quæ viſceribus hi inebriantes liquores, ut ſunt inflammationes aliaque ſanitatis paradoxa, inferunt; unde quòd, ut plurimùm apoplexiæ paroxyſmo diſcuſſo, omnem memoriæ uſum penitus amiſerint. Non tàm, quòd materiæ morbificæ fomes iſtis partibus adhuc inhæreat, ſed intempeſtivus inebriaminum abuſus, memoriæ craſin debilitavit. Hi ſunt fructus iſtius curationis per aquas apoplecticas, quas adeò nonnulli Medici clinici recommendant, ſem-

per-

perque in ore circumferunt, quarum deſcriptionibus tot ſpiſſa volumina totque diſpenſatoria onuſta ſunt. Ne verò prorſus iniquus cenſor harum aquarum videar, extra paroxyſmum parcum, ſobrium i.e. modicum harum aquarum proficuum uſum eſſe largior.

§. 37. Multò minus hæc curandi methodus in Epilepſia infantum toleranda eſt. Proſtant etiam in officinis ad hanc carnificinam tot aquæ epilepticæ inebriantes, ad quas Medicorum vulgus, tanquam ad ſacrum Thuribulum, ſed ſatis perperàm, confugit, illasque cochleatim in puſillos iſtos puſiones infundit, ubi tenuiorum iſtorum corpuſculorum ſpiritus ſtatim, tanquàm flumine aliquô obruuntur ſubmerguntúrque. Unde fit, quòd ſæpius Generoſæ familiæ hæredibus orbentur, parentes Generoſis ſuis ſurculis hujus truculenti morbi inſultu, qui utiq; tam inclutorum ſtemmatum columnæ ſunt, priventur. Niſi quôd eos his ſtygiis aquis immergendos idiotis Medicis, quorum Methodus merè empirica eſt, committant. Neque unius Tragici exempli triſti eventu cautiùs mercari diſcunt, recurritur in eodem caſu, quaſi in eum finem hunc impunè occidentem conduxiſſent, ſemper ad eundem Themiſonem. Sunt, quibus tria & ultra dulciſſima conjugii pignora hâc præpoſtera Themiſonis methodo, iſtasque aquas ſtygias propinando fuerint exſtincta. Impoſſibile quippe eſt, infantes has ſtygias aquas, citrà vitæ jacturam, perferre queant. Volunt nihilominus illi Medici noſtri perpetui Dictatori Hippocratis legum tenaciſſimi videri, qui vetat, ne pueris vinum propinetur. Hi non quidem merum, ſed inebriantes liquores propinant, qui tamen vino duplô fortiores, majorisque noxeæ, hisque puſillis deleteria venena, præſentiſſimaque mortis pocula ſunt. Si denique hâc ſua methodo exſtinctos cernant puſiones, excuſatio in promptu: hic morbus ipſis eſt malum gentilitium, malum hæreditarium à prima nativitatis hora contractum; aut ſi quæ plures ſint ineptiæ, quas in ſuæ cædis excuſationem promunt, vel etiam parentibus perſuadere volunt, hunc morbum natura ſua eſſe incurabilem, eſſeque eundem ipſum, quem Evangeliſtæ Dæmoniacum vocant: provocant hîc fortè ad *Hobbeſium*. Aſt parentibus iſtis in aurem

Aquæ anti-epilepticæ improbantur in infantibus.

 dico.

dico: Morbum iſtum dumtaxat hâc præpoſterâ methodo, non naturâ ſuâ eſſe incurabilem; Quomodò illum ipſum, Dei auxilio, bis, fellis canis exhibitione, ſæpiùs meo pulvere antepileptico curarim, docet *Volum.* III. Actor. Haff. aliaq; exempla in promptu ſunt. Sed ſatis, ne in huius præpoſteræ methodi aſſertoribus camerinam moveam: circa horum inebriaminum abuſum in cephalicis affectibus omnia illa urgemus, quæ à nobis §. 36. in medium ſunt prolata, fuſèque dicta: plura iis poſſent adjici, quæ in aliam occaſionem, quoniam nunc brevitati ſacramentum diximus, rejicimus. Sermo eſt de Empiricis.

Cenſura aliorum liquorum inebriantium.

§. 38. Ejuſdem cenſûs & farinæ ſunt famoſiſſimi liquores pectorales, pnevmonici, antiaſthmatici, cardiaci & id genus; in horum omnium uſu, ut loquamur cum *Livio* (22. 39. 13) *feſtinatio improvida eſt & cæca.* Itur ad auxilia ad debellandum hoſtem, ſed aperitur pixis Pandoræ, ex qua malorum agmina in perniciem ruinamque tàm elegantis fabricæ prorumpunt. Non incongruè hos Medicos comparâris cum iſtis militibus, de quibus *Tacitus* (2. 23. 26) Miles pavidus & caſuum maris ignarus, dum turbat nautas, vel intempeſtivè juvat, officia prudentium corrumpebat. Perindè illi Medici Empirici ad auxilia proſiliunt, cuncta confuſè adminiſtrant, liturgiæ humani corporis ignari viſcera in ſuis functionibus turbant, reciprocationem ſanguinis, ſpirituumque irradiationem impediunt, officia providæ naturæ, quæ ubiq; providè, nullibi ſaltum faciens, progreditur, hoſce inebriaminum nimbos in humani corporis œconomiam derivando corrumpunt.

Eiuſdem cenſûs ſunt alii liquores inebriantes.

§. 39. Iſtûc quoque amandamus illa vulgaria inebriamina ſtomachica, carminativa, antihyſterica, antinephritica, horum culpam præter alia innumera valetudinis incommoda luit innocens epatis viſcus inflammationis ardore laborans. Innocentesque renes ſatis ſuam diſplicentiam conteſtantur, dum & horum uſu peſſimè inflammantur, inflammati exulcerantur, exulcerati in tabem diffluunt. Hæc eſt illa decantata methodus, quæ jam per tot annorum luſtra homines occæcavit, quâ tàm bella Evthanaſia, ſatis crudelis aliquibus, fuit conciliata. Antè infernales cruciatus ignem infernalem in ſuis corporibus, ſtrenuè

nuè illa inebriamina inſundendo, aluerunt : cum Tantalo ſitibundi humoribus immerſi manſerunt. Veneranda antiquitas hæc ipſa doctè & feliciter ignoravit. Accedit, quòd his inebriaminibus adhuc aliud artificium emungendi homines divites inſit. Sunt quippe quidam nomine chimici, hi beneficio Spiritûs Vini tartariſati ex ſimplicibus parant tincturas; elixiria, quintas eſſentias, ex quibus compoſitis quamlibet unciam pro magna pecuniæ ſummâ vendunt, quùm ſæpius integra libra ipſis ne Joachimico quidem nummo conſtet, & ut huic fuco vel fraudi quendam prætextum juris faciant, ſplendida ipſis ſolent indere nomina e. g. Tinctura auri, & ſæpius tantùm auri ineſt, quantum lucis caligini. Tinctura corallorum, lunæ, &c. ſique verò benè eas magnificas tincturas examinemus, ſunt ſcopæ diſſolutæ. Hæc & illa compoſita quidem in totum non rejicimus, quid verò de iis tenendum ſit, cujusque ſint valoris, aliàs ex profeſſo monebimus : tantùm hîc dixiſſe ſufficiat. Horum liquorum deſtillatores pari præmio mercedeque digni eſſent, quâ aliquando *Jonem* quendam (qui quum Babylonem accesſiſſet ad Magnum Regem (i. e. Alexandrum Magnum) & offulas parvas rotundasque (alii legunt, piſa) quas in hunc uſum fecerat, tam certò ictu in mucronem avis ex diſtanti loco dirigebat, ut nunquam ab acie ejus aberraret.) modiolos piſorum dando affecit, hique eodem modo vitreis ampullis donarentur, vaſa ad includendos tam pretioſos liquores non deficiant.

§. 40. Inebriamina verò, circa quæ nunc occupatus fui, ſunt duplicis generis, quibuſdam commodiſſimè Respublica medica carere valet, cujus gregis ſunt liquores antinephritici: hi, ſi paulò accuratiùs lithogeneſiam examinemus, prorſus inter artis rejectanea quisquiliasq; merentur locum. Quædam magnum commodum Reipublicæ medicæ afferunt, ſi non ſint exercitus ſine capite, de quo jure iſtud *Epaminondæ* repetieris: Heu quanta Bellua ſine capite! Per ejusmodi caput verò intelligimus veram *medendi methodum*, iſtiusq; methodi dogmatico rationales Medicos. Apage fucos ab alveario, utputè Empiricos. *Inebriamina duplicis cenſûs.*

§. 41. Unus ſcrupulus adhuc meretur rationis trutinam, tribus verò me abſolvam. Sunt autores, quos ſingularis ſubtilitatis ver-

Hîc tangit autor in tranſenna eos, qui febriles ſubtilitates in conſcribendis formulis aucupantur.

tis vertumnus mirè agitat, hi ſæpius nodum in ſcirpo quærunt, inque ſuis phantaſtici cerebri cellulis arcem quandam receptorum formulas præſcribendi commenti ſunt, ſecundùm hujus artis leges omnia recepta examinant, quæ nunc hiſce brutis phantaſiis non concordant, illa improbant, quaſi ſoli, eſſent terrarum Joves, cùm tamen longè infrà plebem ſint depreſſi, ſua interim ſumma cura, ut quæ ſciunt, peſſimis fallaciæ Elenchis laborare, abſcondunt. *Turpe Doctori eſt, ſi culpa redarguat ipſum.* His pauca reponimus. (1) Jus & dictaturæ faſces in aliorum ſcripta ipſis nondum à Parnaſſo eſſe indulta. (2) Ars præſcribendi formulas nondum authentica, quæ omnes obliget, eſt publicata. Et in ipſis, quæ nunc in hac methodo ſunt ſcripta, plurima deſideramus, multaque obſtant, quò minùs aſſenſum noſtrum tribuamus. (3) Anima methodi medendi in his tribus, *tutò*, *citò*, & *jucundè*, requiſitis fundatur. (4) Si in formulis eâ ſerie ſimplicia præſcribantur, quâ catalogi pharmacevtici ſunt conſcripti, nihil peccatur. (5) Quæ obſervanda ſint, alias monuerunt Eruditi Viri, Marcellus, Varandæus, & noviſſimè Excell. Marchgraffius, Wedelius, & nos prolixè, Deo volente, monebimus in noſtra *Spongia Hippocratica.* (6) Qui hîc volunt eſſe rigoroſi, primò ſuum rigorem exerceant in in veterum compoſitis, illîc Augiæ ſtabulum mundandum reperient. (7) Neque famoſæ Theriaces & Mithridatii antidoti iſtam virgulam cenſoriam effugere queunt. (8) Fortaſſis malè miſcentur volatilia & fixa: inutilis quoque hæc cenſura. Febriles & phantaſticas ſubtilitates non moramur, ſi modò obtineatur ſcopus, qui eſt curatio ægri. Quare & his ineptiis nunc non immorabimur, deſideramus quippe finem hujus operis videre. Qui ſit

Soli Deo Triuni Gloria!

UNUM EST NECESSARIUM

Pſalm. LXXXVI. *Celebrabo Te Domine, Deus Meus, ex toto corde meo, & Nomen tuum perpetuò cum gloria celebrabo.*

FINIS.

Poſt

Poſtloquium ad L. B.

POſtquàm (Dei voluntate annuente) huic arti medicæ animum applicuerim, ſemper illud mihi quàm maximè cordi fuit, eam ità ſcriptis excolerem, exindè in ejus cultores, juventutemque ei deditam commodum aliquod redundaret, inque eum finem & jam varia ſcripta à me ſunt edita, pluraque promiſi ac parturit animus. Ut itaque meam fidem promiſſione variorum ſcriptorum edendorum obligatam liberem, in publicum progredior, præſenti & ſubſequò ſeculo hoc opuſculum ſacrum jubeo. Elapſus verò annus 78, magis fato quàm voto in otiò tranſiit literario. Privatim quidem (& in provincia, quam Sereniſſimus Princeps & Dominus meus Clementiſſimus mihi ante quadriennium demandavit, ſtrenuè perrexi, & quod meum fuit, egi publicè) varios tractatus in Philoſophia & Medicina conſcripſi, quosque benignior rerum facies promet. Præſens ſcriptionis argumentum, quo hâc vice occupatus fui, ſuppeditavit quorundam Medicorum præpoſtera curandi methodus, qui in curandis ægris cujuslibet temperiei iſta inebriamina improvidô auſu præſcribunt. Hinc illa non tàm

in The-

in Therapia quàm & ipſa Pharmacia utramque paginam facere præſumuntur. Si quis præpoſteram methodum, quâ agyrtæ, circumforanei, vetulæ, milites pluraque id genus Medicinæ monſtra ſanant (dicam ne potiùs necant) homines, examini ſubjicere conaretur, huic Augiæ ſtabulo mundificando profectò decem Hercules non ſufficerent. Quique itaque volet, aggrediatur hoc ſepticeps monſtrum, nobis hanc camerinam movere non placet, utiliùs quippe laborem & meditationes noſtras impendere quimus, digni ſunt ſupplicio, cujus CRITER meminit, ex quo locum in EPISTOLA DEDICATORIA prodromi noſtri p. 7. 8. A. 4. adduximus, qui videatur. Inſunt etenim aliis venuſtis corporibus ſuæ maculæ, ſui nævi, quibus delendis & amicè abſtergendis ſeverioris literaturæ proceres mecum ſpongiam abſterſoriam admovent, & nullo non labore delentur, ſi non tranſierint in inſanabilia carcinomata, quibus æquivalent præjudicia & præconceptæ opiniones: quotuplices illæ ſint, innui olim in MANTISSA ANTIHOFFMANNIANA FASCICULO Miſcell. Quæſtion. annexa p. 72. §. 3. (in quo opuſculo §. 11. 23. deletos volo, & civiliſſimè humaniſſimeque L. B. interpretari dignetur, rogo! animus injuriandi abfuit, tùm & contrarium edoctus ſum, & jam defendendo! quæque exſtant a. l. §. II. VII. VIII. X. & q. 2. Decad. 6. p. 52. &c. quoque amicam

inter-

interpretationem merentur , & mea ſic intelligo, quemadmodum autor ſua explicat, quæ mihi aliquando oppoſuit &c. in ſuis Theſibus. Injuriæ illatæ nulla recordatio erit inter Chriſtianos, multò minùs vindicta.) Videlicet duplicis generis videntur eſſe, quaſdam hauſimus ex informatione præceptorum, quam etiam quâlibet ratione potiorem ducimus, & inſtar mille rationum eſt, ſi dicatur, ipſe Pythagoras dixit. Quaſdam etiam obſtinatâ voluntate animo noſtro inſcribimus, & pro his tanquàm pro aris & focis pugnamus. Utrumque genus portentoſum & monſtroſum eſt. Quantùm illa ſanæ Philoſophiæ ſtudio obſint, docet Renatus de Cartes. Neque eſt, de his extricandis Labyrintheis nævis ſim ſollicitus, quisque ſuo ſenſu abundet. Me nunc ad aliud argumentum converto, quòd eſt apologeticum, illud à me extorquet conſcientiæ bonæ rigor, & famæ bonæ, cui ſtudeo, licitum ſtudium. In hoc opere ſæpiùs mentio fit Nostræ Methodi Cognoscendi Simplicia Vegetabilia, in eo tractatu præter ullam meam culpam & ſcientiam debitor magni Conringii factus ſum. Et quomodo, dixi in Ætiologiæ Facultatis Purgantis Præfatione, & §. VII. quibus ſocia, quæ hanc in rem in Phoenicis Botanici Prologo & §. IX. & X. locutus ſum. Si hac de re mihi quicquam ullô indicio (librum ipſum, in quo

illa leguntur, nunquàm ante 22. 77. vidi, multò minùs volvi conſtitiſſet, iis laciniis in hujus meæ purpuræ contextu locum non dediſſem, illa ipſa quippe mihi mutuari licuiſſet ex Bibliothecarum Medicarum, in quibus exſtant, ſcriptoribus; ſunt MERA HISTORICA; illa ex mentis liturgiæ promo condo depromere nemo valet, neque ſapiunt ingenium acutum vel obtuſum, fundatur dumtaxat in NUDO aliquo rerum geſtarum RECENSU. Quæ verò CONRINGIO debentur, illa in dicto tractatu introductionis Theſibus XLII. à pag. 16H, ad p. 205. includuntur, faciuntque cap. X. juxtà editionem Helmeſtadi Anno 54. publicatam, jamque paucis antè diebus cum meo exemplari contuli. Fateor, ſi illinc omnia eſſent exſcripta, & non in MS. exſtitiſſent, quod carebat omni nomine, maximum plagii crimen eſſet. At quòd jam plagium ſit, nego, neque illius criminis me reum agnoſco, neque quis, me reum eſſe, mortalium convincet. Utinam in Theologorum ordine, qui contrà pontificios aliosque ſcripta polemica publicant, non magis hujus criminis rei eſſent, res eſſet ſalva: at ſi quisque ſuum rapiat,

chartam puram carô pretiô emit Lector. Idem dico de Politicis, Medicis & Philoſophis, & qui de hoc crimine purus eſt, illi fortè jus erit me accuſandi, cæteroquin culpam retorquerem. Et quid multis, peccatur hîc intrà & extrà muros Iliacos. Hæc nunc in defenſionem mei ſcripti arbitror ſufficere, neque poſthâc iis ampliùs, niſi provocatus, immorabor. Ero nihilominùs attentus in aliorum ſcripta & horum plagii crimina manifeſtabo. Vale, L. B.

Scripſi Kiliæ 79. die poſt feſtum Epiphaniæ, qui erat, 7. Januarii.

Elenchus Contentorum in hac diſſertatione.

§. 1. *Inebriaminum abuſus.* pag. 1

2. *Inebriamina quid.* 2

3. *Explicatio definitionis.*

4. *Differentiæ inebriaminum: An dentur metallica? Affirmatur.* 3. *aquam pluvialem inſtar Rubini rubram facere.* ibid.

5. *Inebriamina ex animalibus, Tartarorum potus ex lacte equino præparatus, Chymus & Boza dictus: modus præparationis illius.* 4. *Inebriaminum vis à fermentatione dependet.* 5. *Lac ante fermentationem non, ſed poſt illam inebriat.* ib. *Quæ lac fermentare faciant.* 5

6. *Opium inebriamen fortiſſimum.* 6. *& naturâ ſuâ tale probatur*, ibid. *Spiritus Vini, hyoſciamus, ſolanum, mandragora, lupulus, nicotiana inebriamina ſunt.* 7

7. *Inebriaminum uſus.* 7

8. *Opii præparatio duplex, Galenica, vel Chimica, quæ optima.* 7

9. *Opii præparatio cum Spiritu Vini rejicitur.* 8

10. *Opium incorrectum benignius eſt opio Spiritu Vini correcto.* 10. *Laus Severini.* 11. *quomodo opium ſomnum inducat.* 11. 12. *Opium Magnes ſomni.* p. 12. *quomodo vim ſudoriferam exſerat.* 13. 14. *vis ſudorifera in theriaca, mithridatio & diaſcordio non ſoli opio debetur.* 13. 17. *opium conſtat ſale volatili diaphoreticô.* 14. *opium ſanguini commiſtum, ut fermentum farinæ inditum agit.* ibid. *Adeps Balenæ comeſtus per poros cutis penetrat.* 15. *de diaphoreſi, quam ſomnus comitatur.* 15. *opio quomodo anodyna virtus inſit.* 16

11. *Laus*

11. *Laus præparationis opii Langelottianâ.* 16. *Opii correctio cum oleis.* ibid. *opium crudum præſtat in bilioſis affectibus correctô.* 17
12. *Theriaca diateſſeron à multis præfertur Theriacæ Andromacki;* 17. *Circulatio ſanguinis in dubium vocatur.* 18
13. *Opium ſpiritus ligat.* 19
14. *Opio non debent multa admiſceri.* 19. *opii crudi feliciſſimus ſucceſſus.* ib.
15. *Spiritûs Vini abuſus in pharmacis purgantibus extrahendis.* 20. *Jalappæ reſina rejicitur, quòd per ſe uſurpata maxima tormina efficiat.* 20. *olea ſunt reſinæ liquatæ.* 21. *Scammonium malè fumigatur à ſulphure.* 22
16. *Spiritus Vini in tot diſcrepantibus vegetabilibus extrahendis non ſufficit.* 22. *non eſt menſtruum, quod omnium virtutes ſibi unire valeat.* 23
17. *Tinctura Bezoardica D. D. Michaëlis examinatur.* 23. *Radix Contraijervæ extracta à Spiritu Vini vim ſuam amittat.* ib. *vis ſudorifera eſt ſulphuris effectus.* 24. *Spiritus Vini ex plantis ſulphur attrahit.* ibid. *Spiritus Vini ex Scorzonerâ non extrahit virtutem alexiteriam.* ibid. *Unicornu prodeſt in aſſumpto venenô, non verò illius vino mediante ſpiritus.* ibid. *Aquæ ſudoriferæ cum Spir. Vini paratæ ſunt ſaltèm liquores inebriantes.* 25. *Spiritus ex planta paratus, v. g. Cochlearia, adverſatur morbis ſcorbuticis.* ibid. *Spiritus ſambuci contrà eryſipeles.* ibid. *Lib. I. Spiritûs Vini Rectific. drach. ſemis ſalis volatilis extrahere fertur.* 26
18. *Balſama vitæ, non adeò probantur.* ibid.
19. *Sectio ſecunda hujus opuſculi.* ibid.
20. *Opii character duplex, nocet & juvat.* 27
21. *Opium malè præparatur cum ſulphure.* 28
22. *Opium ſervat & occidit.* ibid. *unicus in corpore ſpiritus eſt Catholicus nerveus.* 29. *Opii operatio.* ibid. *opium mediatè ſanguinem afficit.* ibid.
23. *Opium vigilias immoderatas compeſcit.* ibid. *in inſania prodeſt.* 30. *dolores corporis demulcet.* ibid.
24. *Somnus meridianus reprehenditur.* ibid. *quomodò per opium ſomnus concilietur.* 31

25. *Spiritus in delirio quomodò ſe habeant.* 32. *quomodò opium in delirio ſpiritus ſopiat effrenes.* ibid.
26. *Dolores ſomnum impediunt.* 33. *Vigiliæ nimiæ delirium inducunt.* ib. *quomodò opiata dolores demulceant.* 33. 34. *quomodò dolores excitentur.* ibid.
27. *Opii vires in ſanguinem.* 35
28. *Opii incommoda.* ib.
29. *Gentes quædam opio voluptatis gratiâ utuntur.* ibid. *indè frigidiores, torpidiores ſtupidosque reddi.* ibid. *Turcæ ex eſu opii alacritatem, audaciam & veneris appetitum promittunt.* 36. *Hæc examinantur.* ibid. *opium memoriæ nocet.* ibid.
30. *Opium ſpiritibus obeſt.* 37
31. *Quomodo opium per ventriculum operationes ſuas perficere poſſit.* 37. 38
32. *In locum opii ſuccus hyoſcyami vel cynogloſſæ poteſt ſubſtitui.* 38
33. *Quomodò opii incorrecti uſus nimius noceat, & mortem inferat.* 39
34. *Hiſtoria de abuſu opii.* ibid.
35. *Notantur aquæ inebriantes, aquæ vitæ, Elixir vitæ, &c.* 40
36. *Notatur abuſus liquorum apoplecticorum.* ibid. *Inebriaminum abuſus & noxa.* 41. *In Apoplexiâ maximè nocent inebriamina.* ibid. *Apoplexiæ ſpiritus vappeſcere facit.* 42. *Aquæ apoplecticæ ſunt Apoplexiæ fomenta.* 42
37. *Aquæ antiepilepticæ improbantur in infantibus.* 43
38. *Cenſura aliorum liquorum inebriantum.* 44
39. *Ejuſdem censûs ſunt alii liquores inebriantes.* ibid. *Ex Spiritu Vini tartariſati tincturæ, elixiria, quintæ eſſentiæ taxantur.* ibid.
40. *Inebriamina duplicis censûs* 45. *liquores antinephritici notantur.* ibid.
41. *Contrà Cenſores nimiùm graves.* 46

F I N I S.

fol. 1. lin. 27. leg. Vir. f. 6. l. 22. l. Ofio. f. 14. l. 30. l. halituoſam. f. 27. l. 35. l. ſyrtes. f. 41. l. 5. l. ſcyllam charybdim. f. 43. l. 28. noxis, deleteria.